RERVM

AB HENRICI CONDÆI FRANCIÆ PROTOPRINCIPIS MAjoribus gestarum,

EPITOME.

Ejusdémque Henrici genealogiæ

EXPLICATIO,

A Divo Ludovico per Borbonios, atque ab Imbaldo Trimollio ad utrumque dicti HENRICI parentem repetitæ.

PARISIIS,
Apud LEODEGARIVM DELAZ, via Iacobæa, sub Sole aureo.

M. D. XCVIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

EXCELLENTISSIMO PROTOPRINCIPI, primarióque Franciæ Pari Henrico Condæo gratia & pax.

QVI vitiis neque mãcipatus, neque ab iis ſuperatus eſt, eum verè nobilem, illuſtrem, generoſum, excelsóque ac magno genere ortum Divus Chryſoſtomus meritò aſſeverat. Cui congruit id quod Stobæus de Socrate narrat. Qui cùm interrogaretur, quænam eſſet illa, quam veram nobilitatem nominãt, reſpondiſſe fertur, Animæ & Corporis Tem-

perãtiam. Nam quemadmodum triticum, quod optimis, frugiferis, maximísque in agris ſatum, ni purum, ſapidum, ac ſuccolentum natum ſit, bonum nõ judicamus: ſicque nec eum qui è ſummo & illuſtri ſanguine originem ducit, vel Maiorum ſuorũ nobilitatem jactat, niſi bonis operibus, claríſque artibus ornatus ſit, nobilem arbitramur. Huic ſententiæ Democritus, Diogenes, Antiſthenes, ac alii quamplurimi adſtipulati ſunt. Quoniam generis nobilitas tota aliena, ſola virtus propria noſtra eſt.

Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

ARCADVM *olim mos hic fuit, qui & poſt apud Romanos obti-*

nuit, ut ſinguli genere nobili oriundi ſemilunæ formam in calceis geſtarent. Quo ſignificarent, quãtúmvis nobiles eſſent, poſſe tamen generis claritudinem illam, ut lunã, imminui ac decreſcere. Eóque factum eſt, ut Oratori Bradeæ ad populum orationem habenti, ſuámque nobilitatem ſummis in cælum laudibus efferenti, eam in calceis ſolùm habere, ſit exprobratum. Sed etſi generis noſtri nobilitas aliena ſit, nec eam habentes tanquam propriam jactare poſſimus: eâ tamen gloriâ naturali nos ad maximas quaſque res peragendas incendi affirmare auſim. Angelorũ ideò perfectior extitit operatio, eíſque uberior collata fuit gratia, & tandem

gloria ſublimior: quia eorũ natura erat nobilior. Matthæus Evangeliſta Librũ generationis Jeſu Chriſti componens, primum illi patrem Regem Davidem aſſignat. Chriſtus mortales doctrinam novam docuerat, legem novam condiderat, iiſque, qui eam tenerent, & ad finem uſque ſervarent, maxima & excelſa præmia, cælum ſcilicet, & æternam gloriam propoſuerat. Itaque, ut ejus verbis crederemus, ejuſque pollicitis fidẽ adhiberemus, Evãgeliſta Spiritu ſancto afflatus, Chriſtum regio ex ſanguine natũ docere voluit: quo tanquam fundamento noſtra omnium fides inſiſteret. Nefas enim eſt credere, eos qui regio aut principali ſan-

guine orti ſunt, dicta vel promiſſa minimè ſervare: cùm ſemper ii veraces eſſe ipſa ſanguinis nobilitate teneantur, & ex iis quæ dixerint, quæque fecerint, laudem & gloriam reportare ſoleant. Quamobrem ſi in uno, eodémque ſubjecto virtus (quæ unica eſt nobilitas) cum generis nobilitate jungatur, id omni æſtimatione dignum, ac quaſi perfectum quid habebitur. Qua ex re, Sereniſſime Princeps, Genealogiam tuã, patríſque ac matris deſcribere mihi ſummæ curæ fuit. Quò ſingulis innoteſceret, à Sanctiſſimo Rege, maximíſque ac magnanimis Heroibus te ſanguinem & originem ducere. Quorum facta (quæ tua eſt naturæ bonitas) imitaberis, ſi

eorum qui Rectores juventæ tuæ adsunt, (ut mihi certa est fides) præceptis obtemperaveris. Tunc non solùm nobilitatis notam in calceis gerere; sed etiã factis tuis magnanimis, veritatem colendo, promissa implendo, vitia fugiendo, virtutémque amplectẽdo Maiorum tuorum illustria facta tãquam tua vendicare poteris. Sicq; tandem ab omni Te vitio vacuũ noscent omnes, virtutéque præditum, generosum, illustrem, & vera nobilitate ornatum prædicabunt, Tibíque & dictis tuis ac pollicitis fidem adhibebunt; quò generis tui excelsa illa claritudo nullis tenebris obumbrari possit: sed continuò, si fieri queat, de die in diem in æternum crescat &

augeatur. Anno 1596. hunc librum curavi imprimẽdum, ratus me unâ posse Tabulam genealogicã vestræ Excellentiæ tunc temporis excudere. Quod quidẽ haud mihi fuit cõmodũ, ob importunã aëris intemperiem. Siquidem tũc grassabatur in hac civitate magna lues: alia etiã fuit ratio, quia circa finem illius anni valdè me ursit necessitas adeundi Rothomagum: ubi ferè egi menses sex; adeóque meæ valetudinis adversæ ergò, & ex perfida cujusdã bibliopolæ peregrinatione, cui opus id fideram typis committendum: necnon operariorum astu & negligentia. Hæc impedimenta & alia nonnulla mihi obstiterũt (ut dixi) quominùs illa genealogica

tabula tam maturè, ut cupiebam, à me fuerit emissa. Sed ea jam nunc absoluta, cùm viderim Te tantùm proficere in scientiis capescendis: (de quibus scribere particulatim supersedeo, veritus, ne is progressus tuus admirabilis, ob vestræ ætatis teneritudinem, in dubium revocetur: Sed dicant, ut proverbio fertur, ipsi Paduani) præsertim in historiarum lectione, vitarúmque ac notabiliũ facinorum, quæ fortiter generosissimi Reges harúmve regionũ ædiderunt: decrevi apud me hanc explicationẽ locupletare gestis præcipuis, & memoria maximè dignis tuorum Maiorum, qui per lineam rectam, masculinam & legitimam originem suam duxe-

rũt ab illo doctissimo, generosissimo, cordatissimo, ac Sanctissimo Rege Sancto Ludouico, tuo paterno sanguinitatis gradu decimo avo. Præterea quædam addere libuit, de quibus in fine epistolæ ad Lectorem mentionẽ sum facturus. Vnde is intelligat, adeóque totus Orbis, minorem omnes voluptatẽ percepturos quàm meipsum, cùm viderint Te nõ solùm diligenter, ut benè incepisti, progredi quotidie: sed etiam, quæ semel didiceris, fœliciter & accuratè magna cum solicitudine memoriter conservare, & ad praxim revocare. Quocirca vestrã Excellentiam rogo & deprecor, ut dum in acquirenda maiore & ampliore scientiarum cognitione

laborat; nunc & in posterum nõ sinat se eorum unquam oblivisci, quæ jam priùs didicerat: Quoniã

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Etiam id mihi valde gratum foret, ut animo concipias, ac memori mente apud te retineas sequẽs axioma. Scilicet, quantũcunque aliquis sciat, ac norit: tamen illi plura supereſſe, quæ discat: atque hac de causa nemo sibi blãdiri debeat, ut se perfectè sapientem putet. Multùm autem nos juvare poterit Divi Augustini sententia in eum finem: cujus cõsilium tale est, ad hoc amplectendũ. Quamvis tam ille saperet, tamen ita solebat dicere tantus vir. Non sat est studuisse, sed oportet

ſtudere. *Præterea eãdem Excellentiam veſtram oro & obſecro, ut faceſſere jubeat, & à ſe lõgiùs amãdare velit pravam illam opinionẽ, & valde ſibi damnoſam, quam ſequuntur nonnulli rerum ignari, & alii impudentes cum magno detrimẽto tuentur: qui ſic loquuntur. Quid ita? Nunquid ego ſatis ſcio? Ecquid ſum futurus conciõnator, aut cauſidicus? Similiter affantur. Princeps eſt, illi ſufficit ut prima principia ſciẽtiarum norit, quandoquidem illinõ incumbit victum ſibi inde quærere, aut alios docere. O turpem ignorantiã ſummam! O conſilium peſtiferum ac veneno ſum! Sciẽtia, ut fertur apud noſtrates, etiam vetulas, anili proverbio,*

est aurum purum putissimum, quo sapientes norunt lancearum suarũ inaurare cuspides. Iosua, David, Alexander, Iulius Cæsar, Carolus-magnus, Sanctus Ludovicus, Ludovicus ille Trimollius tuus maternus atavus, & cęteri, apud historicos pari dignatione recensiti Heroes, numero glorioso, se fortes in tractandis armis, scientiarum ope, quas in scholis didicerant, præstiterunt. Disce ergo Princeps excellentissime; Perge puer doctissime; Ignaros extrude manibus pedibúsque, & stolidos à tuo cõspectu exulare jube longissimè. Age gratias Deo, qui Te paterno affectu tantis viris instituendum procurat, quibus est tua juventus con-

credita. Ab uno disce, quàm sit perspicacis prudẽtiæ, quæ est oculus virtutum, periculis omnibus providere foris, cùm ille, rerum omniũ per omnes fere Orbis partes experiẽtia doctus, multa hinc inde exempla tibi ob oculos possit proponere. Ab altero verò, quæ in angusto museolo Te docebit amplissimè, de totius machinæ, adeóque admirãdi opificis nãturâ, quæq; tibi insuper præcepta tradet fideliter, memoriæ mandare etiam atque etiã satage. Deus Opt. Max. conatus tuos benè fortunet, & studiorum tuorũ, atque adeò totius vitæ tuæ cursum dirigat ac moderetur ad nominis sui gloriã, ad Regis nostri Christianissimi obsequium, ad ejúsce

ſingularis amoris abundantiam, ad patriæ utilitatem, ad tuæ regiæ familiæ dignitatem; denique ad ſalutem corporis & animi tui ſempiternam. Pariſiis prima Iunij anni 1598.

Excellentiæ veſtræ humilimus ſervus, Regis Chriſtianiſſimi Cõſiliarius, Eleemoſynarius, & Concionator: quondam Sereniſſimi Antonii, Regis Portugalliæ, nunc autem veſtræ, atque illuſtriſſimæ matris Confeſſor.

Fr. Ioseph Texera Portvgves.

Auctoris ad Lectorem.

ANNO 1590. tibi dedi, benevole Lector, Exegesim, sive Explicationẽ Arboris gentilitiæ Christianissimi Regis nostri hodierni: quæ pòst typis mandata fuit Lugduni Batavorum, anno 1592. In qua Borboniorum genealogiam aliquãtulùm per transennam me contexuisse fatebar. (Id tamen ob miserrimas illius tempestatis procellas, librorúmque penuriam accidisse credas) Deo item favente in Gallica editione, ut accuratiùs explicaretur, me elaboraturum promittebam. Quod quidem feci: sed non tam exactè, vt desiderabat animus meus. Quidque fuerit in causa hîc celare haud potui. Sæpissimè enim, quæ adhuc in lucem non prodierant, à Principibus ac magnatibus quanta potui diligentia & humilitate efflagitavi. Ab iisque popoſci, ut verè vera, nobísque ignorata mihi præberi dignarentur. Fecêre nonnulli: at pauci. Plures ad

craſtinum rem protraxêre. Domos eorum adii, ſemel, bis, térque, quatérque, imò ſæpiſſimè. Tandem, ut in hac re deficerem, me coegêre. Illa equidem ſuaptè natura honorabilia, atque à Sacris Evangeliſtis commendata flocci pendunt. Fortaſsè à ſumptibus, quos tamen ab illis non poſtulavimus, ſibi metuentes. Quidquid ſit, liquidò ſanè conjicere poterimus, homines noſtri ævi non perlegiſſe quæ dicta ſunt de Alexandro Magno. Quippe qui, velut nos docuit Athenæus, octoginta talenta (quæ ad quadringentorum & octoginta ſcutorũ aureorum millium ſummam rediguntur) Ariſtoteli tradi juſſit pro expenſis factis in componendis libris de animalium natura, & eorũ proprietate. Nec etiã illa quæ de Auguſto Cæſare prædicantur. Is namque, ut ait Budæus de aſſe libro 3. quinque ſcutorum aureorũ millibus Vergilium donavit propter unum & viginti carmina ab eo compoſita, atque in Æneide citata: in quibus ipſe Vergilius mentionem fecerat de Marcelli morte, ejuſdẽ Cæſaris ex ſorore nepotis, adoptivique filii. Verumenimverò, amice Lector, iis omiſſis, ſi in hoc parvo libello aliqua

dictæ Explicationi Latinæ aut Gallicæ repugnantia offenderis, ne, precor, illa condemnes. Accuratè enim ea vidimus nunc, & accuratiùs, si oportuerit, videbimus in Explicatione communis Borboniorum genealogiæ. Quam, si Principes consuetum favorem non denegaverint, in lucem edere propediem speramus. Quod denique ad illustrissimorum Principum Trimolliorum seriem, ejusdémque explicationẽ attinet, multa in Gallicis, Burgundicis, Aquitanicísque historiis, necnon in templorum monumentis reperimus. Et nonnulla accepimus ab eruditissimis, doctissimísque dominis, Ioanne Rouheto Iurisconsulto, & in supremo Senatu Parisiensi dignissimo advocato, Renato Macquegnó, Domino à Luciera dicto, Regis Consiliario in Curia generali monetarum, ambobus Excellentissimi Henrici Condæi, Franciæ Protoprincipis Consiliariis. Qui ob præclaram suã in mé propensionem, & integritatem in hac parte, suis schedis, atque animadversionibus nostros conatus adjuvare studuerunt. Addidimus in hac secunda editione multa, quæ passim in ejúsce lectione possunt discerni: non-

nulla præſertim geſta notabilia Borboniorum, qui à Roberto, Divi Ludovici filio, per Vindocinos ad præſentes uſque deſcēdunt: Trimolliorum quoque facta quædam notatu digna: tractatum unum de flammula: alterum de converſione ad Eccleſiam Romanam illuſtriſſimæ Dominæ, D. Carlottæ Catharinę, noſtri Protoprincipis matris, quos in fine libri hujus reperies amice Lector. Vale.

SERIES GENERATIONIS, NONNVLLAQ. gesta Maiorum excellentissimi Henrici Condæi, Franciæ Protoprincipis, primariique Paris, ex parte Henrici patris nunc recens contexta.

De Ludovico Sancto, Frãcorum Rege, qui est depictus in Arbore.

LVDOVICVS IX. Ludovici & Blancæ, filiæ primogenitę Alphonsi IX. cognomento Nobilis, & Leonoræ Anglicæ, Regũ Castellæ filius primogenitus, annum agens 12. à Suessionum Antistite, Rhemensi Sede vacante,

Rex inungitur, anno Christi nati 1226. tertio Cal. Decembris, pater ejus obierat prid. Id. Novembris, eodem anno: ex cujus demãdata potestate supremis tabulis mater Blanca, moderata & sapiẽs mulier, rem summam administravit. Ludovico vigesimum attingenti annum, Raymundus Berẽgarius Alphonsi, Casti dicti, Aragoniæ Regis, ex filio secundogenito, Alphonso Arelatensi Comite nepos, Margaretam filiam primogenitam, paternæ possessionis prẽcipuam hẽredem nuptum dedit. Quæ peperit Ludovicum, quem jam virũ mors rapuit, Philippum successorem; Ioãnem infælici cognomine Tristannum, quòd natus esset captivo patre anno 1250. ratione uxoris Comitem Nivernẽsem, Alinconii Comitem; Robertum Clarmontis in Agro Bellovaco Comitẽ; Et Iacobum Comitem de Charolois,

qui comitatus posteà dicto Roberto à Rege patre donatus fuit, Blãcam Infantis Castellæ Fernãdi à Cerda, Alphonsi Regis Castellæ & Romani Imperatoris filii primogeniti conjugẽ, quæ genuit Alphonsum, & Fernandum ambos ab hæreditate utriusque parentis à Sãctio patruo nudatos; Isabellã Theobaldo 2. Regi Navarrę nuptam, qui nullis procreatis liberis obierunt: Et Agnetem Roberto 3. Duci Burgundiæ cõjugatam, quæ multorum liberorũ mater fuit, in quibus ex filiabus primogenita est Margareta, Ludovici Hutini, Regis Franciæ ratione patris, & Navarræ intuitu matris, uxor, Reginæ Navarræ Ioannę Hutinæ mater: cujus causa Rex noster Invictissimus Henricus 4. Franciæ, & Navarræ 3. ducatus Burgundiæ ac multarũ possessionum indubitatus hæres est. Gaguinus lib. 7. in vita D. Lud.

& Ioãnes Bouchet in Annalibus Aquitaniæ, quartam dant filiam Ludovico nomine Margaretam, cui Brabantiam, mortuo viro acceſſiſſe ait: quod apud Authores falſum reperio. Nam Henricus 5. Dux Brabãtiæ Mathildim filiam Matthæi Comitis Bononiæ, & Mariam filiam Philippi Auguſti, Regis Franciæ in uxores duxit: Ejus filius & ſucceſſor Henricus 6. filiam Imperatoris Philippi 1. Sueviæ Ducis, Federici Imp. filii, qua mortua Sophiam Diva Elizabetha, Regis Hũgariæ filia prognatam ſuperduxit: Henricus verò 7. dicti 6. filius & hæres, quem Brabãtinæ hiſtoriæ primum Brabantiæ Ducem dictum volunt, Aleidem Ducis Burgũdiæ filiam: Ioannes primogenitus Henrici prędicti primò duxit Margaretam, Audace Rege Frãciæ natam, quæ obiit primo partu; deinde Margaretam filiã Guydonis Comitis

Flan

Flandriæ. Vnde manifestè appa-
ret,nõ solùm Gaguinum & Bou-
chet,sed etiã alios in hac re fuisse
deceptos. Ludovicus vir sanctus
& pius,annum agens 34. qui fuit
Dominicæ nativitatis 1248. (ut
quidam falsò affirmavit 53.) vi-
dens afflictionẽ Christianorum,
capta iterum Hierosolyma ab In-
fideliũ Imperatore Sultano, Fe-
derico 2. imperante,maximis co-
piis coadunatis cum Roberto &
Carolo fratribus, Alphonso fra-
tre domi relicto,qui unà cũ Blan-
ca matre Regnum administraret,
è Francia profectus, ad primum
insequentis veris tẽpus cùm apud
Cyprum non pauci ex suo exer-
citu morbo interiissent, solvens,
in Ægyptũ prospera navigatione
delatus, Damyatam civitatẽ, Ni-
lo adjacentem,quę & Heliopolis
dicta est,expugnat. Eáque ab In-
fidelium tyrannide, anno 1249.
liberata, ruderibúsque atque in-

quinamentis hoſtium purgata, ritum Chriſtianę religionis per Legatũ Summi Pontificis, qui cum eo erat, ordinavit. Sed poſteà Dei Omnipotentis volũtate cum hoſtibus ad Maſſaram infœliciter dimicans vincitur, fratre Roberto, Arteſiæ Comite ultrà progreſſo amiſſo. In ea pugna cecidêre Principes & nobiles quamplurimi. Inter quos Imbaldus Trimollius (qui primus depictus eſt in Arbore) cum tribus filiis occubuit. Sultanus demùm, qui ingẽtibus copiis inſtructus Maſſaram advenerat, cognita rerum preſentium cõditione, acceperat etiam Ludovicum ægrotare, ſuos in armis ſtare jubet: qui ſtatim iter agentibus noſtris irruẽtes, & Regem ipſum, duóſque ejus fratres, Carolum & Alphonſum, qui ex Francia Damyatã appulerat Cal. Novembris, cum reliquiis exercitus comprehendũt. Itaque Rex

pro sua ac suorum redemptione Damyata, Sydone, Ioppe, Cæsarea, & reliquis acquisitis ditionibus hostibus relictis, atque ideò liberatus, in Syriam cum paucis militibus se recipit: & exinde revertitur in Franciam, quam plurimis seditionibus agitatam pacavit. Regnabat per id tempus in regnis Castellæ & Legionis Fernãdus 3. Sanctus cognominatus, dicti Ludovici consobrinus, natus ex matertera Berengaria, Blãcæ matris Regis Franciæ sorore secundogenita, quæ regnum Castellæ tyrãnicè occupaverat. Qui Fernandus vitæ cessit Hispali anno 1252. Maii 30. Federicus verò obiit anno 1250. Ludovicus igitur cùm Parisios veniisset, comitiis habitis Rempublicam reformavit, statutis optimis legibus, de jure à judicibus dicendo, & de officiis non emendis, de irreligiosis atque execrabilibus juramen- *Sevilla.*

tis,&c. Anno 1253. Parisiis à Roberto de Sorbona Collegium instituitur & fundatur, cui Sorbonæ nomen à fundatore inditum fuit. Itaque Hospitalibus multis ac Monasteriis quamplurimis, & locis piis de novo ædificatis, & ædificatis instauratis Ludovicus celebre illud & memorabile fœdus cũ Angliæ Rege Henrico 3. præsente frequẽtissimo utrinque nobilium conventu percussit anno 1269. Ita ut Normani, Cænomani, Andes, Turones, & Pictones Gallo cesserint cum maiore Aquitaniæ parte. Anglus verò magnam vim pecunię haberet,& tractũ illum Aquitaniæ, qui tres Seneschallias continebat, Burdigalensem, Lanensem (vulgò *Lannes*) & Bazatensem cum provinciis Santonum, Lemovicum, Ingoliſmorum, Petrogotiorũ (quæ in Galliæ Celticæ descriptione continentur) sub titulo ducatus,

id est præfecturas.

Xaintongeois, Limosins, Angoulesmois, Perigourdins.

quem Guyennam dixit, ipséque Henricus Guyēnæ Dux fuit primus. De quibus Anglus Gallo jus cliētelare deberet, ac superiorem agnosceret, abdicens jus omne, quod in Galliæ regno sibi vendicare posset. Lectorem hîc monitum velim, in hoc fœdere non actum esse de jure & hæreditate regni Franciæ: Quæstio enim ista inter Anglos & Fran. obvenit regnantibus in Anglia Eduardo 3. & in Gallia Philippo Valesio; hic Sancti Ludovici, ille dicti Henrici pronepos. Sed de jure ducatus Normaniæ, qui Angliæ regno accessit per Gulielmū Conquæstorem, anno 1066. Et de comitatibus Andium, Cenomanorum, & Turonum: quos anno 1154. Henricus 2. Conquæstoris pronepos, ratione patris sui Gothofredi Martelli Plantagenetæ, Angliæ junxit: quam intuitu Mathildis matris Henrici 1. Regis filiæ, &

Conquæſtoris neptis, Stephano Rege demortuo per contractum inter eos factum obtinuit. Ac etiã de ducatu Aquitaniæ & comitatu Pictavenſi, quos ipſe Henricus 2. ſuæ ditionis fecit anno 1152. quùm Leonarã, Aquitaniæ Duciſſam & hæredem teſtamento patris Gulielmi, qui alterã filiam bona ſua Burgundica poſſidere voluit, ob ſanguinis conjunctionem à Ludovico 7. dicto Iuniori repudiatam in Concilio Baugenciaco anno 1150. (alii 1152.) in uxorẽ accepiſſet. Quoniam Philippus Auguſtus anno 1204. totam Normaniã ceperat, anno 292. poſtquam Rolloni, aqua fontis Sacri lavato, Roberto dicto à Roberto 2. Comite Andegavenſi, Pariſienſi ac regni Franciæ Comeſtabile, poſteà Rege uncto Remis, Hugonis Magni patre, & Capeti avo, qui Rollonem prædictũ ex aqua baptiſmi ſuſcepit, data

fuerat. Ab universa autem, quam in Gallia habebat, possessione Ioannes Anglus, prænominati Henrici 3. pater & 2. filius, vir Tyrannus, & ignavus, ob truculentam cædem Arturi, filii fratris sui senioris Gothofredi per Parlamẽti Arestũ fisco præscripta, penè depulsus fuerat. Quippe qui cervisiæ intoxicatæ (ut fertur) oblato potu interierat, anno 1216. Iis peractis sanctissimo Religionis zelo ac pietate motus Ludovicus, cùm jam statuisset in Asiã aut in Africam trajicere, anno 1270. cum tribus filiis, magnáque Principum ac nobiliũ caterva, atque ingenti exercitu stipatus, demortuo Ludovico filio primogenito, Cal. Martii solvit Aquis Sextiis (alii Massilia) vulgò *Aix* in Provincia, & in Africam delatus, Carthagine expugnata, Tuneto civitate obsessa, pestilentia in castris grassante Ioãnem Tristannum filium

priùs amisit, quem ex ventris profluuio ad 8. Cal. Septembris pater Rex Sanctus morte sequitur. Philippus Audax tunc filius primogenitus Rex in castris salutatus, postquam leges Barbaris & tributum imposuit, in Franciam redit. E vivis itaque Ludovicus migravit 25. Octobris dicti anni 1270. (ut ille quidam anno 1271.) quo etiam anno sanctissima Angelici Doctoris Thomæ Aquinatis fratris Ordinis Prædicatorum totius sacrosanctæ Ecclesiæ splendoris & magistri anima ad cœlos pervolavit, ætatis suæ anno 50. Corpus Ludovici relatũ in Franciam, humatur in Divi Dionysii fano. Dum autẽ à Parisiis funus effertur, fuêre designatis locis stationes, ubi pyramides cum lapideis statuis, & Christi cruce constructæ, quæ ad hanc usque diem persistunt.

De Roberto, qui primus Frãciæ Principibus Borbonii nomen dedit, ordine 2. in Arbore.

ROBERTVS S. Ludovici & Margaretæ Berengariæ filius, v. natus loco, Clarmontis in Agro Bellovaco Comes & de Charolois, maritali vinculo sibi conjugavit Beatricem filiam unicam Agnetis, Archibaldo Borbonii regulo procreatæ, & Ioãnis, Hugonis 4. ducis Burgundiæ filii natu minimi, qui cognominabatur Borbonius, quòd relicto paternæ familiæ nomine, Borbonii uxoris causa asciscceret. Eudo ejus frater primogenitus uxorem acceperat Mathildim Agnetis prædictæ sororem primogenitam, quæ sterili matrimonio defuncta est. Nonnulli affirmarũt Beatricem filiam unicam fuisse Archibaldi avi sui:

quorum etiam opinionis aliquã-do ego fui, in eo ſeductus, quòd hi, qui contrariũ aſſerebant, Ioã-nem ducem Burgundię fuiſſe cõ-teſtarentur: cùm tamen Ioannes dux Burgundiæ non fuerit. Erat enim tertiogenitus filius Hugo-nis 4. patris ſui, fratréſque ſenio-res ſe habuit. Nempe primogeni-tum Eudonem, paulo ante nomi-natum, qui vivente patre vitam finivit, unica ex uxore Iſabella Niverſia filia relicta; & Robertũ ſecũdogenitum, qui mortuo pa-tre Hugone dux fuit Burgundiæ: hujúſque nominis tertius dictus. A quo per Margaretam filiã pri-mogenitã Rex Chriſtianiſſimus hodiernus recta linea & legitima deſcẽdit. Nomen Borboniorum vetuſtiſſimum eſt, fuítque eorum familia opulenta, locuples, & in maximo honore habita. Referũt Gallicæ hiſtoriæ, tempore Ludo-vici Balbi Imperatoris ac Francię

Regis, Comestabilem fuisse in dicta Francia Archibaldum Borbonium, cognominatũ Balbum, virum disertum, sapientem, modestum, & magnanimum, hominẽ sine avaritia, sine fraude, dolo, aut malitia, qui bonum nomen omnibus divitiis anteponebat. Gestabat pro insignibus leonem in campo rubro, habentem per circuitum testas octo azurii coloris, & lumbum argenteum, ac sinopicum per omnes partes stellis seminatum. Robertus ergo, omissis omnibus titulis, Comitẽ Borbonii sese ac successores appellari voluit. Suscepit ex Beatrice Ludovicum successorem; Ioannem de Clermont, Baronem de Charoleis, Dominum Sancti Iusti in Campania, qui duxit Ioannam sororẽ & hæredem Comitis Suessionũ, obiítque filia unica relicta Ioanna nomine, quę nupsit Ioanni Comiti Bononiæ & Arverniæ:

quorum progenies extincta fuit per Ioannam proneptem, primò nuptam Ioanni Duci Biturigum, Ioannis regis filio : & eo mortuo, secundò Ioãni Trimolliano, nullis procreatis liberis mortuã; Petrum de Clermont magnũ Archidiaconũ Ecclesiæ Parisiensis, Blancam de Clermont Roberto Comiti Bononiæ & Arverniæ, cognomento Magno, Gulielmi Comitis etiam Bononiæ filio, qui in Aragonia vivente patre obiit, cõjugatam anno 1304. Margaretam copulatã Comiti Namurci, filio primogenito domini de Sully, & Ioannæ Vindocinæ : fuit itẽ Margareta uxor Ioannis à Flandria Namurci Comitis, filii Guydonis Comitis Flandriæ. Et Mariam, quæ desponsata fuit Ioanni Mont-Ferrati Marchioni, nõ tamen nupta, sed apud Possiacos moritur Monialis. Robertus igitur, post multa in gratiam suorũ

Principum, pro Franciæ conservatione fortiter peracta, à Rege Philippo Pulchro, nepote ex Philippo Audace fratre Eques deauratus creatus, ob hastarum ictus, capiti acceptos in hastiludio, quod inter Principes exercebatur, in diuturnam infirmitatem incidit, ex qua magnum sui desiderium, ob præclaram animi fortitudinem, pietatem & justitiam Francis relinquēs, regnante Philippo Longo, moritur, anno 1317. Februarii 7. Iacet apud Prædicatores Parisienses, sepultus in sacello Divi Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici. Hîc animadvertendum est, hastiludium per Frācas leges Principibus Sanguinis prohibitum esse (in regno Franciæ Principes sanguinis dicuntur ii, qui per lineam masculinam & legitimam à Regio sanguine descendunt, eáque ratione jus hæreditarium ad ejusdem regni Coro-

nam perpetuò in se sustinent & habent: primáque radice penitus extincta, & proximiori suscepta suo ordine succedunt.) Id autem strictissimè servatum fuisse perhibent Franciæ historici Philippo Augusto regnante. Quippe qui anno domini 1209. mense Maio, filios suos, Ludovicum primogenitum, & Philippum Bononiæ Comitem Mathildis uxoris ratione, legis nexu obligavit, ne in posterum hastiludia ingrederentur. Quod illi se facturos jurejurando publicè affirmarũt. Hujus enim ludi genus multorum aliquoties bellorũ ac cædium causa fuit: atque etiam, ut regna & dominia quamplurima à maribus ad fœminas, ab incolis ad externos devenirent. In qua vicissitudine certo certius est regnorum exitium potius oriri, quàm cõservationem. Quod facile videri est in cæde Christianissimi Hẽrici 2.

atque Gastonis Foxensis, Navarræ Principis, qui in hastiludio Liburnę vulneratus, paulo post Burdigalæ animam egit. Cujus hæreditas postea, mortuo Francisco Phœbo unico filio sine hæredibus, ad Catharinam sororem obvenit: eáq; Ioāni Albritēsi nupta, regnū Navarrę à viro externo possessū, ab alio externo invasū capitur, & ad hodiernā usq; diē p Fernādi Aragonensis hæredes injustè retinetur. Ideo Principes sāguinis non modo hastiludia, verum etiā pericula omnia, in quibus hominum vita periclitatur, debent ejurare, atque effugere. Ni modestissimus, Christianissimus, ac bellicosissimus, & magnanimus Princeps ille Sebastianus Portugalliæ Rex invictissimus in pugna ad Alcaçar-quebir morti sese obtulisset, regnum Portugalliæ ad tot calamitates & miserias non deveniisset; neque tot hominum millia

ob ejus rationem occubuissent; tot civitates & oppida non corruissent, tot denique sacrorũ templa funditus eversa minimè fuissent.

De Ludovico primo Borbonii Duce, ordine 3. in Arbore.

LVDOVICVS Magnus Roberti & Beatricis Borbonicæ filiorum natu maximus, à Philippo Pulchro Rege, patruele, Eques auratus creatus anno 1297 uxorem duxit Mariam filiam Ioannis & Philippæ Lutzemburgicæ, Comitum Hollandię, & Hãnoniæ. Peperit Maria Ludovico Petrum primogenitum, Franciæ Parem ac magnum Cubiculariũ; Iacobum Comitem de Charolois ac Marchiæ, Franciæ Comestabilem; Philippum Borbonium Dominum de Beaujeu sine prole

demortuum: Ioannam nuptam Guidoni, filio primogenito Ioannis Comitis Forestani, Mariã primò matrimonii vinculo copulatam Guydoni Hugonis 3. Regis Cypri filio, Hierosolymæ Comestabili: secũdò Roberto Principi Tarentino, Græciæ Imperatori dicto; & Beatricẽ cõjugatam Philippo, Principi etiam Tarentino, filio primogenito alterius Philippi à Sicilia, Caroli 2. Regis Sicilię filii: Et alteram Beatricem quæ obiit 25. Decembris anni 1383. sepelitur Parisiis apud Prædicatores in magno sacello iuxta magnum altare ad cornu dextrũ, ibiq; adest præter ejus sepulchrũ, propria ejus effigies, fixa ad unam templi columnam. Fuit Beatrix ista uxor secunda Ioannis Comitis Lutzemburgensis Regis Bohœmiæ cognomẽto Cæci, Henrici 7. Imperatoris filii: cui peperit Vuenceslaum, primum Lut-

zemburgi ducem factum à Carolo 4. Rege Bohœmiæ & Imperatore, nato ex Elizabetha filia natu maxima Vuenceslai Regis Bohœmiæ, & Ioanne patre. Quippe qui fratre Bernardo de Monte-politiano Ordinis Prædicatorum de cæde patris Henrici 7. Imperatoris falsò accusato, & Reverendissimus dominus Balduinus Archiepiscopus Trevereñsis, & alii Principes, & omnes imperii Electores: Item Episcopi & nobiles quamplurimi Theutoniæ & Italiæ, Imperio fidelissimi, discretione diligentissima super hoc fideliter habita, vivis suis vocibus literísque sigillis suis roboratis, demonstraverunt universis, falsã & confictam fuisse accusationem contra prædictum Fratrem Bernardum de cæde Patris Henrici. Idem dictus Carolus præfati Ioannis filius primogenitus, & Hẽrici nepos, Rex etiam Bohœmiæ,

& Imperator, suo sermone falsum esse publicè ostẽdit. Is insup post aliquot annos Pragæ, quæ est civitas Bohœmiæ, fecit celebrari capitulum generale fratrum Prædicatorum, ad eos excusandos & Ordinem de tam nefanda impostura. Pessimi tamen viri id pessimè convertebant. Rumorẽ enim sparserant per totam Thuringiã ac Mysiam, quòd ideo Imperator convocasset Pragam dictos Fratres Prædicatores ad Capitulum, ut vindicaret mortem Henrici avi sui. Quod ille intelligẽs, omnem honorem excogitabilem & decentem in eorum excusationẽ & Ordinis, Ordini & fratribus exhibuit. Primò fecit deaurari turrim nostri Convẽtus. Posteà durante celebratione capituli in eodem Conventu præfuit magnæ missæ in die Pẽtecostes, stans imperialib. insignibus, & corona insignitus in choro dextro, & eodẽ

modo Imperatrix uxor ejus in siniſtro : ibique fecit exhiberi & offerri Fratribus duas tabulas aureas ad altare: Quarum una eſt de exemptione ab omnibus Principibus Chriſtianis ſecularibus, & quòd ſolùm ſumus ſub Imperio. Secũda eſt de ſucceſſione in hæreditate paterna. Prętereà in ſecũda feria Pentecoſtes invitavit oẽs Fratres ad aulam ſuam in Caſtro Pragenſi, quos delicatiſſimis pavit ferculis, miniſtrantibus proceribus ſuis. Demũ prandio finito ad Cathedralem Eccleſiã, quæ in caſtro eſt, duxit omnes Fratres, quibus ibidem oſtendit reliquias Imperii, & omnem ornatũ domus ſuæ: eos denique cum ſolennitate magna reduxit in propria perſona ad Conventum, vt peſſimos illos viros peſſimum mendacium dixiſſe falſiſſimumque rumorem ſparſiſſe, omnibus patẽter oſtenderet. Cum hoc ita ſit, & à pluri-

bus scriptorib. memoriæ relictũ, nõ possum nõ accusare nõnullos, qui hactenus contrarium oscitãter scripserunt: dominum Genebrardum præsertim, cujus manes exoro, ne mihi succenseant. Qui cum se Ecclesiæ sanctæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ, ejusdéque ministrorum acerrimũ propugnatorem ac defensorem profiteretur, ausus est tamen temerè & parùm prudenter cum falsis scriptoribus consentire. Aitque in sua Chronographia in lucem edita annò 1585. pag. 667. Henricus 7. Imperator veneno sublatus dicitur à Dominicano, cùm sacrosanctum Christi corpus sumeret. Debuerat enim Chronographus iste melius veritatem indagare, historicósque, qui de hac re verissimè scripsêre diligentiùs revolvere & inspicere. Quos quidem historicos in sua communi Imperatorũ historia sequitur Pe-

trus Mexia, qui in Elogio dicti Henrici c. 2. pag. 451. col. 2. sic loquitur. Cùm Henricus juxta Senã castra haberet in loco *Monte aperto* dicto, cœpit lãguere. Qua propter medicorum consilio ab eo discedens ad balneas de *Maçarite* se contulit: ubi cum se jam deficere sentiret, multiplici morbo tentatus, eóq; in dies ingravescẽte, ad oppidum *Bonum-conVentum* transmeavit. Ibique, ut aiunt Germanici historici, omnes ejus cogitationes periêre, ipso prævẽto morte, quæ ab ipso morbo, quẽ iamdudum patiebatur, processit in die Assumptionis Deiparæ Virginis, quo die susceperat sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum; cui, vt nonnulli scribunt, herbæ mortiferæ à quodã fratre Dominicano aspersæ fuerant, ex quarum veneno periit. Id tamen suspicari minimè possumus, imo credimus hanc falsam & menda-

cem ſuſpicionẽ proveniſſe ex eo, quòd Imperator eodem die, quo ſacratiſſimũ Chriſti corpus ſumpſerat, mortem oppetierit. Ipſimet hiſtorici teſtantur, Summũ Pontificem, cùm intellexiſſet Religioſum illum falſa flagrari infamia, certúſque de ejus innocentia eſſet, expediiſſe literas Papales in Orbem univerſum, per quas dictum Religioſum falſò accuſatum fuiſſe, atque ab omni labe alienum eſſe, unicuique ſignificabat. Hactenus Mexia. Lectorem obteſtor & deprecor ne me aliquot hiſtoricos accuſantẽ, prolixum judicet: expedit enim aliquoties longas digreſſiones inſerere. At non eſt mirabile, cùm viderim alios hallucinari, ut ego re propria occurrente in ordinandæ hiſtoriæ ſtilo delirem: Cum præſertim à patre noſtro Divo Dominico, viro nõ modò ſanctiſſimo, verumetiam nobiliſſi-

mo,è regio Sanguine orto,in ultimis tabulis procurandi Ordinis inchoati promotionem ac dilatationem expreſſum mãdatum habeam. Dum verò recens delictum ſummo dolore ac maxima animi anxietate, & non ſine lachrymis recognoſco,quod egomet impedire vehementer elaboravi, veteres falſitates refellere hiſtoriæ, ignorationi tribuere non eſt conſentaneum. Nunc ad locũ unde exivimus revertamur. Fuit Ludovicus vir ſtrenuus, & bellicoſus. Anno 1302. Iulii die 7. Philippo Pulchro, à quo Eques auratus creatus fuerat, cõtra Flandros bellum gerente, collatis utrimque exercitibus ad Cutracum belli ſigno dato, Francorum duodecim millia periêre, occiſis Roberto Atrebatenſi, & Reginaldo domino de Neella, Franciæ Comeſtabile, cum pleriſque viris nobiliſsimis, Ludovicus

cus, qui pugnæ non adfuerat (secum duo millia Equitum habebat, quorum ductor erat) tantam, támque horribilem stragem meditatus, suos semper in ordine retinẽs, omnes dispersos à fuga, trepidationéque ad se voce atque exemplo revocat, & servat incolumes. Annis duobus transactis Ludovicus Pulchro Regi iũctus ad *Mõtem Populeti* 18. Augusti anni Domini 1304. maximam de Flãdris victoriam reportavit. Ad quindecim millia hostium cecidére. Flandri tanta clade potiùs irritati, quàm territi, undequaq; copiis coadunatis in aciem descendunt. Vixdum se exarmarat Rex, cùm repẽtino impetu sublato clamore in castra regia erumpunt. Itaque Rex in summo vitæ amittendæ discrimine, positus à Carolo & Ludovico fratribus, & ab ipso Ludovico Borbonio adjutus, hostiũ terrori, præter spem,

Mont de peuple, vt alii, Pouille.

resistit. Ad sex millia hostium occubuêre, regiorum mille quingenti. Pulcher Parisios reversus ad Virginem statuam equestrem posuit: vt id monumentũ, Regij periculi Numine votóq, in ipso discrimine pugnæ propulsati, foret. Hujus historię auctor est Paulus Æmilius: sed Nicolaus Ægydius id Philippo Valesio tribuit, ut suo loco dicetur. Anno 1314. Philippo Pulchro 29. Novembris è vita sublato succeſſit Ludovicus Hutinus filius primogenitus. Huic Ludovicus firmiter adhæsit, ac fidelissime inservivit usque ad annum 1316. quo Hutinus quinta Iunii vitam cum morte cõmutavit, filia unica relicta nomine Ioanna, & Clementia Hungaria secunda uxore gravida, quæ peperit filium posthumum nomine Ioannem Paucorum dierum, ex eo quod octo tãtum dies, siue, ut permulti aiunt, viginti in vivis

Mors Phili. Pulchri.

Mors Hutini.

degerit. Hunc historiæ Navarræ inter suos Reges Ioannẽ ejus nominis primum numerant, majori certè ratione Gallis, qui hũc Ioãnem qui verè Frãciæ & Navarræ Rex fuit, nescio quo respectu ducti, reticent, Ioannémque Valesium hujus nominis primum nominant: cùm tamen is secundus fuerit. Hutino demortuo Ludovicus à Philippo Lõgo novo Rège castrorum regiorum generalis præfectus anno 1318. substitutus, Gualtero à Chatillon Frãciæ Comestabile sibi adjuncto, Atrebatenses domuit, Artesiæque comitatũ imperio ac potestati Mathildis subegit. (Hîc notandum est quanti ponderis ac momenti sit dignitas regii Sãguinis in Gallia: Principum enim Sanguinis imperio Comestabiles in bellis subjici nõ renuunt.) Hæc Mathildis post cædem Roberti patris dicti comitatus Artesiæ Comitissa &

Lieutenant general.

hæres declarata fuit, ita judicantibus Curiæ Parisiensis Senatoribus, ubi & litem pro dicto comitatu intẽtarat Robertus Artesius fratris sui Philippi filius unicus, qui Philippus ante Robertum patrem obierat anno 1288. Pater verò, ut suprà diximus anno 1302. occisus fuit. Ipsa Mathildis uxor fuit Othonis 4. Burgũdiæ Comitis, cui peperit Robertum, dictum Artesiũ, qui sine liberis anno ætatis suæ 16. obiit; Ioannam & Blancam. Ioãna anno 1306. nupta fuit Philippo Longo Pictonũ Comiti, postea Franciæ Regi, de quo nobis est sermo. Ob hanc causam Lõgus Comitatum Artesię tradidit potestati Mathildis socrus suę, ipsúmque comitatũ ademit Roberto Artesio suprà nominato, donato ab ipso rege comitatu Beaumontensi apud Normanos. Id tamen postea causa fuit multorum malorum in Gallia, sicuti narrant

Beaumõt.

hiſtoriæ. Anno 1321. Ianuarij 3. è vita migravit Philippus Lõgus, filiabus tribus relictis in vita, Ioanna, Margareta, & Maria: Blanca ſecũdogenita vivente patre obierat. Longo ſucceſſit Carolus Pulcher frater, qui anno 1326. ad coërcendum Hugonem Penſacẽſem, & Anglos, Carolum Valeſium patruum in Aquitaniã miſit, in cujus comitatu aderat Ludovicus Borbonius. Huic Valeſius, ut meliùs rem ageret, partem copiarum tradidit. Iis Borbonius à Valeſio disjunctus hoſtes aggreditur, eóſque ſuperat. Oppida multa cepit: Caſtella & pagos evertit, civitatemq; Ageenacenſem, vt ſibi, Valeſii nomine, ſe dederet coegit. Tanti Principis robore & magnitudine, Valeſius ſeptus & Penſacẽſem & Anglos debellavit, profligavitque, totúmq; negotiũ fœliciſſimè peregit. Anno 1327. Februarij prima, Carolus Pulcher

Mors Phil. long.

Montpeſat.

Agen.

Mors Car. Pulchri.

extremum vitæ ſpiritum edidit, Ioanna Eburonicenſi uxore gravida relicta. Hac de cauſa Philippus Valeſius, qui patruelis erat Regis demortui, natus ex ſupradicto Carolo Valeſio, fratre ſecũdogenito Philippi Pulchri, totius Frãciæ Rector efficitur, natáq; prima Aprilis à Ioanna, filia Poſthuma, cui Blanchæ nomen inditum fuit, Rex Franciæ inauguratur. Anno verò ſequenti contra Flandros Rex potentiſſimum exercitum ducens, adjutorem habuit Ludovicum, qui ſecum habebat tredecim cohortes, quas ex ſuis ſubjectis ad id bellũ collegerat. Sublato ad mõtẽ Caſſelli clamore horribili cruẽtam ac funeſtam hoſtium audaciam facit, hoſtes debellat, eóſque ad ſui Principis obedientiã compellit, Caſſellum quoque repetit. Ex hoſtibus duodeviginti millia corruêre. Rex Lutetiam reverſus, ut Deo & Ma-

riæ matri ejus, ingentes pro tam celebri victoria gratias ageret, equo impositus atque armatus tẽplum Nostræ Dominæ ingreditur; ibique facta oratione coram Crucifixo proprium equum & arma Deiparæ Virgini obtulit, ei gratulãs ob nobilissimã illam victoriam, ad cujus recordationem in magno pronao ejusdem templi ad manũ dextram ipsum Regem armatum sedentem super equum, ultimæ pronai columnæ super quatuor parvulas appositũ hodierna die cõspicimus. Verùm enimverò ut id monumentum ad sempiternam memoriam conservaretur, Rex ipse in territorio Gastinoes dicto cẽtum libris annualibus hãc Ecclesiam perpetuò donavit. Hęc Nicolaus Ægydius. Nos autẽ ad indagandam hujus rei veritatem elaboravimus, & diligẽtia cujusdam amici, dicti Gothofredi Vincentii, Eccleſiæ No- *Gastinois.*

ſtræ Dominæ Pariſiēſis Canonici viri gravis & induſtrii, vidimus ex archivo præfatæ Eccleſiæ literas patentes Regis Philippi Pulchri, actas in caſtris propè Inſulam, anno Domini 1304. menſe Septembris, per quas ille donationē facit ipſi Eccleſiæ ad hunc modū. Nos Philippus Pulcher Frācorū Rex, propter admirabilem victoriam, quam Dei favore, & ſuæ matris beatæ Mariæ Virginis interceſſione in partibus Flandriæ ab inimicis, qui nos inquietabant, divinitus reportavimus, in loco, qui Mons in Pabula nominatur: & ob noſtrā, & chariſſimæ conſortis noſtræ, Ioannæ Francorum Reginæ, & liberorum noſtrorum ſalutem, pacem, & tranquillitātem regni noſtri, noſtrorumque fidelium ſubjectorum, Concedimus Decano & capitulo Eccleſiæ Noſtræ Dominæ Pariſienſis, nomine dictæ Eccleſiæ, centū libras Pari-

finas annui perpetui reditus, &c. Tametsi in iis literis nullam mentionẽ facit Rex Pulcher de statua equestri. Quamobrẽ non obstante quòd Ægydius in uno aberraverit, videlicet circa prędictã centum librarum donationem, quam Philippo Valesio tribuit; in altero tamen eum veritatem attingere, eidémq; Valesio ipsam equestrem statuam, ob eam victoriam, ad Montem Cassellum, ut jam narratum est, divinitùs potiùs, quàm humanitùs de Flandris habitam, tribuendam fore arbitramur. Rex prætereà anno 1329. Ludovicum Borbonium ob res in ea expeditione præclarè gestas, Borbonii Ducem primum, & Franciæ magnum cubicularium declaravit: illíque ac Mariæ uxori propriis manibus ducalem coronam imposuit. Ideo Ludovicus nomẽ & titulũ Borbonii Ducis assumpsit, & ad posteros suos transmisit. Lu-

dovicus demùm, quamvis jam ſenio confectus eſſet: tamẽ Regem ſuum in omnibus cùm domi tùm militię geſtis, non deſeruit, illúmque cũ ſumma animi fortitudine cõtra Eduardum tertium Regem Angliæ, & Flandros bellum moventẽ ſequutus eſt. Dierum plenus, ſuum clauſit extremum 22. Ianuarii anni 1341. Sepulturę ejus corpus mandatum eſt in Eccleſia Prædicatorum Pariſiis juxta Robertum patrẽ. Cumque Regibus Franciæ, Pulchro videlicet, & filiis ejus tribus, Hutino, Longo, & Pulchro, quinto & ultimo Philippo Valeſio, ſumma cum laude & gloria inſervivit.

PETRVS, huius Ludovici filius primogenitus, Borbonii Dux 2. matrimonii vinculo ſibi copulavit Iſabellam filiam Caroli Comitis Valeſiorũ, & Mariæ à Cerda, Fernando Caſtellæ hærede prognatæ, ex qua ſuſtuliţ Ludovicũ

2. Borbonii Ducem, Carolum Marchiæ Comitem, qui filium procreaverat Petrum, ambóque in loco *Brignais* dicto, tribus à civitate Lugdunensi leucis distante, à rebellibus ac seditiosis, *Tardvenus* dictis, in pugna vulnerati, in ipsa civitate post dies paucos obierunt, anno 1361. Ioannam Caroli 5. Regis Franciæ uxorem, Caroli 6. matrem: Blancam Petro Crudeli Regi Castellæ nuptam, qua repudiata alteram sibi conjunxit Ioannam à Castro, post diem nuptiarum dimissam: Blancam verò Toleti in carcere detinuit: dein in oppidũ Medinam Sydoniam relegavit: ibíque eam sive gladio, sive veneno interemit: Bonam Amadei comitis Sabaudiæ conjugẽ, Catharinam Ioanni de Harcour cõjugatam: Et filiam quintam, quæ nupsit Gothofredo filio Ioannis Brabantiæ Ducis Margaretæ Lu-

dovici Malani uxoris fratri: sextã, Margaretã, primò nuptam Ioãni filio Domini de Sully, secundò Arnoldo Aminieu, Albreti supremo Domino: Septimam & vltimam, Mariam apud Possiacos Monialẽ. Occiditur Petrus, Frãciæ magnus Cubicularius in Pictavensi pugna cum Carolo fratre, Franciæ Comestabile anno 1356. Septembris 19. die Lunæ. Ejus corpus humatur in Ecclesia fratrũ Prædicatorũ Parisiis, jacétque circa Ludovicum patrem in magno sacello.

PRAENOMINATI Petri filius primogenitus fuit Ludovicus, eius nominis 2. Dux Borbonii, qui in uxorem accepit Annã filiam Beroldi Delphini Arverniæ, qui comes *Camus* vocabatur: ex qua procreavit Ioannem successorem, Iacobum Franciæ magnum Cubicularium, Dominum de *Preaux*, qui filium genuit Lu-

dovicum nomine, occisum in pugna Agincortensi, anno 1415. qui Iacobus post multa præclarè gesta, post longam & incredibilẽ obsidionem Melodunensem, a- *Melun.*
trum carcerem, & assiduos labores pro suis Regibus & patriæ libertate exantlatos è vivis eripitur cujusdam Fabri lignarii ædiũ casu, Rupellæ, anno 1422. Rege Carolo 7. præsente, quippe qui non tamen illæsus evasit: Ludovicum, cujus corpus humo commendatum fuit Parisiis apud Prædicatores in sacello Divi Thomæ Aquinatis, in humili sepultura, juxta monumẽtum Roberti abavi, obiitque anno 1404. Septembris 12. qui nondum sextumdecimum attigerat annum: Isabellã uxorem secũdam Ioannis Intrepidi Ducis Burgundiæ, quæ sterili matrimonio ei supervixit: Et Beatricem Odoni Grancey Domino copulatam. Fuit Ludovi-

cus facilis & mitis, probéque Christianus: quæ virtutes fecerunt ut à Carolo 5. & regni proceribus daretur curator Carolo 6. Regi ex sorore nepoti unà cũ Philippo Audace Burgũdiæ Duce, dicti Regis patruo: Quam curationem ille reliquit, ut expeditiùs pro Christiani nominis defensione comitatus Comite de Harcour, Domino Trimollio, & aliis nobilibus numero octingẽtis, & Genuensibus quamplurimis, & utriusque nationis magno militum numero conscripto, in Africam trajiceret: in quam delatus Tunetũ obsedit, ejúsq; Regẽ coegit, vt quotquot Christianos captiuos haberet, liberos dimitteret: libera quoque esset iisdem Christianis per mare Mediterraneum navigatio, summámque pecuniæ quantitatem daret, qua milite soluto reverteretur in Frãciam: quam, honore summo mu-

neribúsque gratis à Genuensibus, in quorum etiam gratiam expeditionem paraverat, donatus, maximo omnium applausu ingressus est eodem anno, quo decesserat, qui Domini fuit 1384. Multis igitur domi, forísque præclarè gestis moritur Ludovicus circiter annum 1413. ætatis suæ 70. sepelitur apud Souvigni.

HVIVS præclarissimi & bellicosissimi senis filius primogenitus Ioãnes Dux 4. Comes Clarmontis, & Forests, Delphinatus, Arverniæ, & Beaujolois Dominus factus, conjugem sibi sumpsit Mariam filiam Ioannis à Francia, Biturigum Ducis, cum qua habuit in dotem ducatum Arverniæ, & comitatum Montpensierii. Procreavit Ioannes ex Maria Carolum successorem in ducatu; Ludovicũ Montpensierii Comitem: Et Ioannem Episcopum *Anicii in territorio *Pelay* dicto, * Puy.

in confinibus Arverniæ, & Agri Lugdunenſis, ubi fluvius Ligeris ſuum initium ſumit. Dux Ioannes in pugna Agincortēſi ab Anglis captus fuit, ab iiſque in Angliam delatus, incarceratus vixit 19. annorum ſpatio: Ibique è vita deceſſit, anno 1434.

LVDOVICVS Ioannis ſuperioris, Ducis Borbonii filius ſecundogenitus, primis nuptiis matrimonii vinculo ſibi conjunxit Ioannam Delphinam Beroldi Iunioris Delphini Arverniæ filiam, ex qua nullos ſuſcepit liberos: qua mortua ſecundis ſuperduxit Gabriellam à Turre, filiam Bertrandi à Turre Comitis Bononiæ, quæ peperit Gilbertum Comitem Montpenſerii, qui ex Clara à Gonzaga, Federico Mātuæ Marchione prognata, tres filios procreavit, nimirùm Ludovicum, qui cum apud Pozool in regno Neapoli preces Deo funde-

ret pro patris anima, juxta sepulturam, in qua dictus pater conditus erat, repētina morte animam exhalavit, anno 1503. Carolum & Franciscum, hic in pugna Sanctæ Brigidæ, ille Romæ occisus: Et filias duas, unam Renatam dictam, Antonii Ducis Lotharingiæ uxorem; alteram Ludovicam nominatam, (quæ erat primogenita) Ludovico Borbonio, Ioannis 2. Comitis Vindocini filio copulatam. Huic Rex Franciæ Franciscus primus Montpensierii comitatum in titulum ducatus translatum, unâ cum Paris dignitate adjuncta, & principatum Delphinatus Arverniæ: dominumque de Tour, Bussiera, & de Roches, &c. alteri verò baroniam Mercurii dono dedit. Peperit itē Gabriella Ludovico marito Carlottam, nuptam Valphardo Borsellio, Comiti Beucher in Scotia, Veræ Domino: Et Gabriellam, *Borsselen.* *Tervere.*

quæ est in Arbore, Ludovici Trimollii conjugem. A Carlotta nata est Anna nupta Philippo à Burgundia filio Antonii Nothi, filii Philippi Boni Ducis Burgũdiæ, Domino Beveræ, & uxoris intuitu Domino Veræ, Vlissingæ, Brouverhavæ, ac Sandeci: è quibus promanarũt Marchiones Veræ, & nobiles quamplurimi. Nata est etiam è Carlotta Ioanna nupta Vualravio Brederodiæ Regulo, è quibus orti sunt præsentes Brederodii: quorum Dominus Vualravius, suorum fratrum natu maximus junctus Gulielmæ, viduæ Nicolai domini Assendelfii, Gulielmi Domini Haefteni & Hervini filiæ, primus est in familia Brederodiorum, descendens per lineam masculinam & legitimam ab Arnulpho Hollandiæ Comite tertio; possidétq; is Dominus Vualravius præter dominiũ Brederodiæ, urbem Vianam

Beveren. *Flissingen.* *Sanden.* *Hervuin.*

ad ripiam Rheni sitam, ubi extat hodierna die Turris, in qua Comes Fani Divi Pauli à Carolo Burgundo detentus fuit, turrísque Comitis Sancti Pauli vulgò vocitatur. Promanarũt denique à Ioanna Brederodiæ Domina Mansfeldienses in Flandria, quorum primogenitus erat Comes Carolus, qui fidelissimas urbes in Gallia, Castellæ Regis nomine annis superioribus infestavit. Obiit anno 1595. in Hungaria post captam civitatem illam memorabilem Strigoniam: cùm anteà Turcarũ Infidelium suppetias incredibili fortitudine fregisset, ac immortali gloria debellasset. A prædictis itaque Anna & Ioanna Carlottę Barbonicæ filiabus nati sunt in partibus Germaniæ multi Domini, & nobiles quamplurimi. Quorum seriem in communi Borboniorum genealogia explicaturos speramus.

De Iacobo Comite Marchiæ, ordine quarto in Arbore.

IACOBVS Ludovici Ducis 1. Borbonii & Marię Hollãdicæ filius natu ſecundus, Franciæ Comeſtabilis, Marchiæ & Ponthieu Comes, uxorem duxit (ut aiunt Britannicæ hiſtoriæ) filiã Ioãnis de Chaſtillon, ab antiqua Principum Britãnorum familia orti, & Margaretæ de Cliſſon: aliæ verò Ioannam Comitis Fani D. Pauli filiã, ex qua ſuſcepit Ioannem ſucceſſorem, Iacobum Comitem de Ponthieu, juvenẽ mortuum: Et Petrum, quem aiũt cum Bertrãdo Gueſquinate ſuſcepiſſe expeditionem in Hiſpaniam, ut regno Caſtellæ & Legionis Petrum, cognomento Crudelem deturbaret, ídque Henrico Petri fratri notho ſubjiceret:

quod quidem effecit, licèt Eduardus, Niger dictus, Eduardi 3. Regis Anglię filius primogenitus, Vvalliæ Princeps, à Petro inſtigatus, cùm ex Guyenna in auxiliũ veniſſet, in fugam Henricum cõpulſum, capto Gueſquinate, Petrum poſteà reſtituerit: Catharinam Richardi Comitis Vindocini uxorem: Iſabellam Ludovici Beaumontis Comitis conjugẽ; Et Carlottam nuptam Gen, ſive Gene vel Ioãni Regi Cypri, Hieroſolymæ, & Armeniæ: quæ genuit Ioannem ſucceſſorem, patrem Carlottæ Reginæ, quã Iacobus frater illegitimus regno privavit: Et Annam Ludovico Duci Sabaudiæ deſpõſatam, quæ mater fuit Ludovici, dictæ Carlottæ mariti, & Amadei 8. Sabaudiæ Ducis. Quippe qui cùm per jus ſucceſſionis, tùm per ipſius Carlottæ adoptionem verus & indubitatus aviti regni hæres ſine

controversia erat. Ob eámq; rationem Philippus Amadei filius, Carolus nepos, Emmanuel pronepos, & Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ hodiernus abnepos, se Reges Cypri, Hierosolymæ & Armenię appellari fecerũt. Iacobus mortuo Ludovico patre à Regis Philippi partibus firmiter stetit, Ioannemque Regis filium primogenitum & hæredem missum à patre contra Anglos in Guyennam copias ducente sectatus est. Ibique cum Petro fratre duce Borbonii fœliciter pugnavit, nonnullis Anglorum civitatibus ac oppidis & castellis permultis Frãcię ditioni subactis. Anno 1346. Augusti 26. Sabbatho ad vesperam pugna ad Crescĩacũ commissa est omnium famosissima, luctuosissimaq; qualis Gallis acciderat, ob Principes, duces, ac nobilitatem illic interemptam. Gallorum ad triginta millia cæsa

sunt in illa pugna: ex qua Iacobus vulneratus evadens, cũ Rege dominica die valdè manè Ambianum ingreditur. Anno devoluto in regio comitatu suæ fortitudinis & animi audaciæ singulare exemplum præbuit. Rege Philippo è vivis sublato 22. Augusti anni 1350. successit Ioannes hujus nominis, si cum veritate loquamur, secundus, qui Anno 1353. post cædem Caroli à Cerda Iacobum Frãciæ Comestabilem designavit, eíque præcepit, ut tãquam Frãciæ officialis, apprehẽderet Carolum Malum, Regem Navarræ, ob dicti Caroli à Cerda truculentam cædem ab illo patratam. Quod Iacobus facere non recusavit. Carolum vinctum in Curia Parlamenti astantibus multis Principibus ac regni proceribus publicè detinuit. Deinde Iacobus à Rege missus in Aquitaniam multa gessit memorãda: *Ambian.*

Tandem contra Anglos pro Regis & patriæ defensione viriliter pugnans ab hostibus occiditur, unà cum fratre Petro duce Borbonii, in Pictauensi pugna, Ioanne Rege, cũ filio Audace capto, anno & die anteà dictis.

De Ioanne, primo ex Borboniis Comite Vindocini, ordine quinto in Arbore.

IOANNES Iacobi & Ioannæ uxoris filius, Comes Marchiæ, ducta Catharina filia, hæredéque unica Ioãnis Vindocini, oriundi à Normanis, & Andegavensibus, factus est post mortem soceri Comes Vindocini, & de Castres, Dominus à Carancy, Lupé, Condé, Espernon, Mondoubleau &c. Procreavit Ioannes ex Catharina Iacobum Comitem Marchiæ, post mortem patris

patris magnum Franciæ Cubicularium: qui mortua Beatrice Navarrena uxore prima, Caroli 3. Regis Navarræ filia quartogenita, à Ioanna Neapolitana ad nuptias vocatus, dum eò profectus, verba sibi dari conspicit, ad Gallos reversus, titulum tamen retinuit Regis Neapolitani. Posteà Vesontione Religioni S. Francisci vitam vovit, filiabus iiij. relictis ex prima uxore Beatrice. Quarum primogenita (ut conjicitur) nomine Leonora, nupsit Bernardo Armagniaco, Comiti de Perdiac, ex quibus natus est Iac. Armagniacus, Nemorosiorum Dux, Comes de Castres: Ludovicus Comes Guysiæ, & Carlotta, qui omnes nulla relicta sobole obierunt. Prædicta Leonora regnum Navarræ, & Siciliæ, & quatuor millia librarum in comitatu Marchię postulabat. Dictam Beatricem Ioan. Tilletus Ama-

nuensis secũdam uxorem dat Iacobo, cùm tamẽ reliqui Scriptores eam primam & Ioannam secundam fuisse affirment. Secundus Iacobi frater fuit Ludovicus patris successor in Vindocini comitatu &c. Tertius Ioannes de Carency, de quo in communi Borboniorum genealogia, quam propediem in lucem edere speramus, dictum est. Suscepit item Ioannes ex Catharina Annam primò nuptam Ioanni de Berry Mõtpẽserii Comiti, filio alterius Ioãnis Biturigũ Ducis, & Ioannæ Armagniacæ, secundò Ludovico Comiti Palatino Rheni ac Duci in Bavaria: Et Mariam uxorem Ioannis de Beyne, Domino de Croys. Ioannes in Pictavensi pugna, in qua pater Iacobus, & Petrus patruus Borbonii Dux fuerunt occisi, ab hostibus captus, in Angliam cum suo Rege transfretauit, ibíque jam liber, ut Ioan-

nes Rex in Franciam posset redire, obses mansit. Rex ipse rebus in Frãcia fœliciter peractis, ut de Ioãne ac aliis obsidibus cũ Anglo transigeret, revertitur in Angliã: ubi morte præventus Londini moritur anno 1364. Aprilis 8. Ioanni Regi succedit Carolus, filiorum natu maximus, quintus nominis dicti, quo regnante Ioannes annũ circiter 1368. ab Anglis liberatus venit in Franciam. Vbi post annos duodecim Carolus 5. è vita discessit anno 1380. Septembris 16. Carolo 5. succedit Carolus 6. filius primogenitus, quem contra Ioannem 4. dictum Conquæstorem, Britãniæ Ducẽ, exercitum ducentem Ioannes insequitur, anno 1381. Dein contra Flandros, qui Domino suo rebellarant, ipsum Regem proficiscentem comitatur, anno 1382. Iterum eundem Regem contra ipsos Flandros & Anglos poten-

Mors Ioannis Valesij.

Mors Caroli 5.

tiorem exercitum moventem insequitur, anno 1383. Pactis tandē inter utróſque induciis, Ioannes cum Rege victorioſo in patriā rediit. Poſtremò anno 1388. Regē ad ſingulare certamē per Gulielmum Ducem Geldrēſem vocatū non deſeruit. Demùm poſt multa gloriosè peracta incunte anno 1396. Ioanne Burgundo, dicto Intrepido Niverſii Comite, prece Sigiſmundi Imperatoris, contra Turcas copias ferente, de Regis mandato in Hungariam proficiſcitur. Chriſtiani ad Nicopolim cum Turcis manus conſligentes debellantur, eorum magna pars in Barbarorū ſervitutem redacta eſt. Inter captos capitur Ioannes Borbonius, qui à captivitate ſolutus, in patriam regreſſus, non poſt multos dies ſenio confectus emiſit ſpiritum anno 1397. Catharina verò ejus uxor jam obierat anno 1376. Maii menſis 30. ſepulta

jacet Parisiis in Choro Prædicatorum in humili sepultura juxta sepulchrum Clementiæ, Ludovici Hutini conjugis secundæ, ad sinistram.

De Ludovico Comite secundo Vindocini ex Borboniis, qui est ordine 6. in Arbore.

LVDOVICVS Ioannis & Catharinæ Vindocinæ filius natu secundus, Vindocini hæres, Franciæ magnus Oeconomus, connubiali thoro sibi conjunxit primam uxorẽ Ioãnam de Roussy, sive Blancham, filiã Rudolphi de Montfort, & Annæ à Montmorancy, ex qua nullam suscepit prolem. Eáque mortua secundò duxit Ioannam filiam Guydonis Domini de Gaure, & Annæ hæredis Lavalli, & Vitré apud Britannos, quæ peperit Ioannem pa-

tris ſucceſſorem. Nonnulli tamẽ primam Ludovici cõjugem fuiſſe conteſtantur Ioannam ſupradictam, eámque nulla relicta prole obiiſſe. Secũdam verò Mariam filiã Engerardi Domini de Coucy, ac ejus uxoris Iſabellæ Eduardo Rege Angliæ prognatæ, quæ genuit Ioannem. Id demùm vidimus in genealogia quadam, quæ ſervabatur in Archivis Sereniſſimæ Reginæ matris Catharinæ Medices, conjugis Regis Chriſtianiſſimi Henrici 2. delineata à Laurentio Hollinhed, natione Anglo, dicti Henrici juſſu in carcere detento apud Coucy, ibíque demortuo. Ludovicus vivente patre Ioanne, Regis, regni, & patriæ hoſtibus ſemper occurrit, eóque demortuo egregiam operam cõtra Anglos & Burgundos præſtitit Carolo 6. Regi ſuo, ab eóque, Gulielmo Archiepiſcopo Senonenſi, & Petro Lexovienſi

Sens. Lexov.

sociis adjunctis, pro pace faciēda, cum Henrico 5. Rege Angliæ, anno 1415. in Angliam mittitur. Exin re infecta in Galliā trajicit. Interea anno 1415. sicuti habent Annales Franciæ, ut Polydorus Vergilius 1416. Octobris 25. inter Francos & Anglos ad Dagincurtum circa Blangiū prælium committitur. Decem millia Francorum in acie cæsa sunt, cum multa nobilitate, & captivorū totidem ferè capta. Ex quorum numero fuit Ludovicus Borbonius. Quippe qui à captivitate postmodum liberatus, Carolum 7. qui mortuo Carolo patri anno 1422. Octobris 21. successerat, sua licet hęreditate nudatum (totum enim regnum hinc à Burgundis, inde ab Anglis occupabatur) & proprii Regis, & patriæ adversitatibus compatiēs, obnixè juvit: eúmq; in omnibus periculis, laboribus, & calamitatibus non destituit. Anno verò

Mori Caroli 6.

1429. per totam provinciam Picardię regiorum caſtrorum generalis præfectus à Rege ſubſtituitur. Præterea anno ſequẽti Campaniæ & Briæ Prorex ab ipſomet Rege creatur, Mariſcallo de Bouſſac cum mille tantùm peditum militibus ſibi commiſſo. Hoc tam parvo auxiliari numero tot memoranda fecit, ac ſi numeroſum habuiſſet; Anglorũ audaciam cõpreſſit, Burgundionum furorem coërcuit: eorúmq; copias fregit, ac ſuperavit. Anno 1432. Ludovicus à Carolo 7. magnus Franciæ Oeconomus creatus fuit. Hunc tamen Ludovicũ Iacobum falsò appellat Ioannes le Feron in ſuo Catalogo de magnis Oeconomis Franciæ, Gallicè excuſo, fol. 23. pag. 2. Anno 1435. ad urbem Atrebatẽſem, in qua erat Burgũdus, Papa, Francus, & Anglus, pro pace facienda ſuos miſerunt Legatos. A Papa venit Cardinalis

ſanctæ Crucis, è Concilio Baſilienſi, Cardinalis Cypri, & alii viri pii, & eruditi. A Franco, Carolus Borbonii Dux, Ludovicus noſter Borbonius, Arturus Comes Richemundiæ, Frãciæ Comeſtabilis, cum multis aliis ſacri, profaníq; Ordinis. Ab Anglo, Henricus Cardinalis Vintoniẽſis, Henricus Eboracenſis Antiſtes, Gu- *York.*
lielmus Suthfolchiæ, & Ioannes Huntyngtoniæ Comites, ejúſque legationis Principes, ac multi alii ex ſanguine regio procreati. Habebat ſecum Burgundus Duces Geldriæ, & Bullonæi: Comites Valkemburgi, Vademontii, Neverſii, Eſtampii, Salmarũ, Lignii, Naſſauvii, Fani D. Pauli: Antiſtites Cameracenſem, ac Leodienſem: & Nicolaũ Roliniũ Burgundiæ Cancellarium, cum pleriſque magnatibus, & viris nobilibus. Ad hęc miſerunt Legatos, Sigiſmundus Imperator; Reges, Portugal-

liæ, Caſtellæ, Navarræ, Siciliæ, Cypri, Daniæ, ac Poloniæ; Duces Britonum & Inſubrum: Ditiones inſuper omnes, quæ Burgundum agnoſcebant. Dux Borbonius, ac Ludovicus Vindocinus, cæteríq; Franciæ Legati apud Divum Vedaſtum in ſuo ſacello Burgundo intento ad genua procumbunt, pro pace rogant, obſecrántque, ut Carolo Regi patris necem condonet, paratũ eſſe Regẽ, omnibus ei ſatisfacere modis, ſalvo regiæ Majeſtatis honore lachrymantes affirmant. Burgundus, ſublatis è terra proceribus, ſibi dignitate & genere paribus, amantiſſima quoque uxore Iſabella, Ioãnis Nothi Portugalliæ Regis filia, quæ ſe his junxerat, aſtringi ſe ait, mutuo cũ Anglis jurejurando, quòd alter ſine alterius cõſenſu cum Carolo pacem ſe non facturum, erat pollicitus. Ad hæc Cardinales, Annales Hollandiæ narrãt, cùm nul-

lis verbis animum Burgundi promovere possent, ut spreto Anglorum Rege per se pacem cum Frãco faceret, respondisse, se contra eum & Anglum Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ jure acturos. At ne aliquo modo de potestate, quã Christus Dominus noster Ecclesiæ suæ tribuit, dubitarent, Cardinalem Sanctæ Crucis petiisse cãdidum panem, cui, in amplissimo totius Consilii cõsensu, cùm summa fiducia malè esset precatus, subitò nigerrimum extitisse, magna omnium qui aderant admiratione. Iterúmque piis verbis pani benè precatus, pristinum recepisse candorẽ: Ac ex eo tempore Burgundum cõcepto terrore sese procerum Ecclesiæ arbitrio submisisse, & dimissis Anglis cum Franco pacem fecisse. Qua in re sua diligentia, studio, ac industria Regi suo multum inservivit ac profuit Ludovicus, qui deinceps

propter ſuã in rebus agendis prudentiam, & æquanimitatem tanta gratia,& authoritate apud Carolum ſuũ Regem valuit; ut ejus perſuaſu & cõſilio Rex Carolum Ducem Aureliæ, Ludovici filiũ, & Ioãnis Comitis Ingoliſmæ fratrẽ,ad ſedanda domeſtica bella, Franciæ primum Sanguinis Principem poſt ſe,ſuóſque deſcẽdentes, anno 1442. publicè declaraverit: Illi conceſſis omnibus gratiis, prærogativis, ac privilegiis, quibus ſolent Principes Sanguinis in Francia frui. Præterea ut Rex Carolum ampliori humanitatis vinculo devinciret, ad ſolvenda debita,ei conceſſit, vt per totum Franciæ regnum centum & ſexaginta millia librarũ poſſet exigere: Eique tribuit, per omnes annos, dum viveret, decem millia librarũ. Annũ circiter 1444. currentem Carolus Rex dictum Ludovicũ,cum Archiepiſcopo Rhe-

mẽse, & Guydone Comite Lavallensi, & plerísq; proceribus in Angliã ad Regẽ Henricũ 6. misit, pro cõciliandis Ducibus, Aureliano, Burgundo, Andagavensi, Alinconiensi, Borbonio ac Britanno. Factis igitur ad tempus induciis, Ludovicus in Franciam revertitur. Vbi vixit postmodùm ad annum 1447. quo senio confectus spiritum exhalavit, Ioanne filio unico relicto. Ioannes Tilletus Amanuensis prædicto Ludovico dat filium unicum Ludovicum; quem ait fuisse patrem Ioannis superioris. Quod certè magnum nobis negotium facessit. Ob id enim vehementer elaboravimus in inveniẽdis ac revolvendis scriptoribus, qui omnes unanimiter, etiam manu scripti, tantùm dant Ludovico filium unicum Ioannem, de quo nobis dicendum occurrit. Lusignanus Tilletũ secutus in eandem foveam incidit.

De Ioanne 2. ex Borboniis tertio Vindocini Comite, ordine septimo in Arbore.

Bertrādi et Joan, næ de Turri filia

IOANNES 2. Ludovici & Ioannæ Lavallensis, sive Mariæ de Coucy filius unicus & hæres, ut quidam, Ioānam de Beauuau, ~~Tilletus Amanuēsis eā vocat Isabellam de Beaumōt,~~ Domini Præsignani filiam matrimonio sibi copulavit: ex qua sustulit Frāciscum primogenitum, & successorem: Ludovicū Principem Rupis supra Yonam, Lupé & Condé in Hannonia, qui uxorem duxit Ludovicam Borbonicam, Ludovici Comitis Montpenserii filiam, cujus Ludovicus, Montpenserii Dux primus filius fuit, nepos verò Franciscus, qui obiit anno 1592. & pronepos Hēricus Princeps bello & pace cla-

rissimus, prudens atque pius, & Reipublicæ amãtissimus, hodiernus Dux Montpẽserii, anteà Princeps Dumbarũ nominatus: Ioannam primò nuptam Ioanni Duci Borbonii, secundò Ioãni Comiti Bononiæ & Arverniæ, Baroni de la Tour, tertiò Francisco de la Pausse, Baroni de la Garde, Domino de Chastelles: Catharinam Equiti Gilberto de Chabanes, Domino de Courton conjugatã, ex qua hodierni Curtonii descẽdunt: Ioãnam alteram Ludovici vel Tãnequini domini de Ioyeuse uxorem, quę nulla relicta prole obiit: Carlottam Angelberti Clivensis, Niversii Comitis conjugẽ, è qua orti sunt Nivernenses & Guysii hodierni matrum intuitu: Renatam Abbatissam Mediolani, deinde Fronte-vallis: Et Elizabethã Abbatissam Cadomi. Ioannes Ludovici patris, suorúmque Majorum vestigia insequutus, suũ

verum & legitimum Regem Carolum 7. patriámque ſtrenuè tutatus eſt. Anno verò 1451. Ioannẽ Nothũ Aureliæ, Dunoes ac Longavillæ Comitem, per totum regnum Franciæ regiorum caſtrorum generalem prẹfectũ ab Rege deſignatum, & in Guyẽnam miſſum ſectatur Ioannes; qui in hac expeditione permulta egregia opera gerens, ſuam magnanimitatem ac cordis audaciam optimè oſtendit. Cæterùm anno 1461. Iulii 22. Carolus Francorum decus & lumen, ac Imperator, qui ſuis pugnãdo reſtituerat rem, atq; jure belli auxerat, extremũ diem clauſit. Carolo Ludovicus XI. filius primogenitus & hæres in regno ſuccedens, Rhemis protinus inungitur, præſente Philippo Bono Burgundię Duce, ac omnibus Franciæ Principibus, inter quos Ioannes inventus, Comitis Toloſani Franciæ Paris officio in ea

Mori Caroli 7.

solemnitate functus est. Qui ob res præclarè gestas in provincia Guyennæ Eques deauratus creatur anno 1452. Quo civitas Burdigalensis, quæ sub Anglorũ potestate erat, Franciæ ditioni subacta fuit. Anno 1464. Carolus Burgũdus, Boni filius, secretè fœdus cum Carolo Biturigũ Duce, Regis Ludovici fratre, & Francisco Britonũ Duce contra Regem facit. Qua ratione omnibus Principibus Franciæ in ipsum Regem conspirantibus, solus Ioannes excipitur cũ filiis suis duobus, Frãcisco primogenito & Ludovico: quorum unus sequenti anno 27. Iulii pro Regis & patriæ tuitione ac defensione unà cum patre & fratre viriliter pugnãs à Burgũdo capitur in pugna ad Montlhery. Anno 1469. Rex Ludovicus de suscipiendis armis adversus Eduardum Eboracensem, qui Henricum 6. Regem Angliæ in vincu-

Amboiſe. lis detinebat, Ambaſii generalem conventum agit: cui non defuit Ioannes & filii ejus ad decretum Concilii explendum, & regiam voluntatem unanimes parati. Id item fecêre cõtra dictum Eduardum, qui jam regno Anglię, Henrico Rege, & Eduardo unico filio Principe Vvalliæ ab eo occiſis, ſolus potiebatur, quum rebus bellicis paratiſſimus, & exercitu ad viginti armatorum millia conflato, Caletum 12. Iulii trajeciſſet. Quo cũ Ludovicus in ponte, qui eſt in Somma flumine congreſſus longum ſermonem habuit. Hîc Reges inducias in multos annos certis conditionibus paciſcuntur. Ioannes denique cum amantiſſimis filiis per totum ſuæ vitæ curriculum in alma fide erga ſuum Regẽ, & patriã perſeverans è corporis ergaſtulo ſolvit anno 1483. paulo ante Ludovicum Regẽ qui obierat 30. Auguſti anni prædicti.

Mors Ludovici.

De Franciſco ex Borboniis quarto Vindocini Comite, ordine 8. in Arbore.

FRANCISCVS Ioannis 2. & Ioannæ, ſive Iſabellæ filius primogenitus, & ſucceſſor Vindocini Comes, Franciæ magnus Oeconomus regnantibus Carolo 7. & Ludovico XI. factus anno 1439. uxorem ſibi junxit Mariam Lutzemburgenſem, Petri Lutzemburgi & Margaretæ de Sabaudia filiam, Fani Divi Pauli Comitiſſam, ac Lignii & Anghiani Dominam, quæ primùm nupſit Iacobo Sangio Comiti Ramõdo ac Vauſſio, cui filiã peperit nuptam Henrico Naſſauvio. Fuit Maria neptis Ludovici Lutzemburgici, Frãciæ Comeſtabilis, capite plexi à Ludovico XI. natu unica Petri, ejúſce Ludovici filii, Fani Divi Pauli,

Converſantii, Lignii, Leſchii, ac Brianæ Comitis, Anghiani Domini: per eámque huic familiæ Borbonicę magnæ opes in Picardia, Flandria, Arteſia, aliiſq; locis acceſſerunt. Liberos habuerunt complures, nimirùm Carolũ ſucceſſorem: Iacobum, qui infans obiit: Frãciſcum Fani Divi Pauli Comitem, qui Adrianã de Toutevilla, ampliſſimæ, ac opulentiſſimæ familiæ hæredem, uxorem duxit: ex quibus natus eſt filius Franciſcus, qui nulla relicta ſobole juvenis obiit: & Maria Longavillæ Duciſſa, de qua ſuo loco dicemus: Antoniam uxorẽ Claudii à Lotharingia Guyſiæ Ducis: Ludovicum Cardinalem Borbo-
Sens. nii, Archiepiſcopũ Senonenſem: Et Ludovicam Abbatiſſam Frõtis-vallenſem. Anno 1483. de vita exuto Ludovico XI. Carolus 8. ejus filius unicus & ſucceſſor Rhemos proficiſcitur ad unctionem,

in qua comitem habuit Franciscum Vindocinum, cujus comitatui posteà addidit dominationẽ de Montdoubleau: ipsam quoq; dominationẽ cum parte dicti comitatus à jurisdictione ducatus Andegavensis, ac comitatus Cenomanensis in favorẽ ipsius Franciſci perpetuò exemit. Anno sequenti, cõventu trium Ordinum in urbe Turonum mense Iulio habito, constitutum est, ut in Frãcia Rector non esset, Regis pueri cura & tutela sorori Annæ, Dominæ à Bello-Ioco credita: quo indignatus Ludovicus Aurelianensis fœdus cum patruele Carolo, Comite Ingoliſmæ; Ioanne 2. Duce Borbonii; Franciſco Aureliano Comite Longavillæ; Alano Albritensi, cujus filius Ioãnes Catharinam Reginã Navarræ uxorem jam duxerat; Ioanne Vicecomite Narbonæ, ac pluribus aliis regni Principibus contra dictam

Annam Regis sororẽ & tutricem facit, unde dissidio exacto solus ex Principibus Franciscus Vindocinus cum Ludovico fratre, Principe ad Rupẽ supra Yonam, Regis & sororis partes tutatus est. Ludovicus tamen non post multos dies cum fortiori parte suorũ adhęrentium, ad Regis gratiã Annæ sororis industria & opera receptus fuit. Interim multa memoratu digna in Francia acciderunt, usque ad annum 1494. quo Frãciscus in expeditione Neapolitana Regem sequutus est. Vnde in Franciam rediens, Vercellis in Pedemontanis valde infirmatur: ibíque ob situs malignitatem assidua febre correptus interiit, anno 1495. duobus filiis, nempe Carolo primogenito, & Francisco Comite Fani Divi Pauli minoribus relictis, ob suam animi fortitudinem, prudentiam, urbanitatem, ac in suum Principem fideli-

tatem summam magnum sui desideriũ Francis relinquens. Franciscus oppidũ Sancti Carilephi, dempta ejusdem sancti Abbatia, suo dominatui adauxit. *s. Calen.*

De Carolo Vindocini Duce primo, ordine 9. in Arbore.

CAROLVS Franciſci & Mariæ Lutzemburgicæ filius primogenitus, à Rege Franciſco, hujus nominis primo, primus Vindocinorum creatus Dux, nuptias contraxit cum Franciſca (ut alii Ludovica) Renati Ducis Alinconienſis filia, Caroli Ducis ultimi Alinconii ſorore: Ex qua hos ſuſcepit liberos: Ludovicũ, qui ſeptem annorum puer obiit: Antoniũ, qui ei ſucceſſit, patrem Regis noſtri Chriſtianiſſimi, Feliciſſimi, Fortiſſimi, Clemẽtiſſimi, peſtiferæq; tyrannidis Extinctoris Prin-

cipis; ac etiam Sereniſsimæ Catharinæ Infantis Navarræ, nunc Henrico, Pontmoncionis Marchioni; Caroli Lotharingię ducis filio primogenito ſponſatæ; Franciſcum Comitem Anghianorũ, qui prope Ceriſollas cum Marchione de Guaſta, Caroli 5. Regis Caſtellæ, Imperatoris Legato confligens, victoriam illam memorabilem à Paulo Iovio copiosè & eleganter in hiſtoria ſua deſcriptam obtinuit, anno 1544. Aprilis 14. Sed dum ad Rupem-Vidonis ad Sequanam, cum quibuſdam magnatibus ludo pilæ & reticuli ſe exerceret, dejecta è proxima feneſtra arca cervicem ei fregit, ſicque è vita eripitur, anno 1547. uxore non ducta: Ludovicum alterũ, qui in ætate trium menſium moritur: Carolum Borbonii Cardinalem, Archiepiſcopum Rothomagenſem, virum magis ad pacis, quàm ad belli artes

tes aptum: quippe qui ad Eccleſias ſuas gubernãdas ſolùm natus videbatur: quíque pluribus uno &eodem tempore confluentibus malis, animã egit anno 1590. durante Pariſienſi obſidione: Ioannem, mortuo Franciſco, Anghianorum Comitem, qui ad Sanctũ Quintinum in prælio Divi Laurentii anno 1557. ictu globuli vulneratus occubuit, non longè à loco ſuæ nativitatis. Indéque deducitur in papilionem Domini Emmanuelis Philiberti, Caroli, hodierni Ducis Sabaudiæ patris, (qui à partibus Caſtellani ſtabat) quippe cui lachrymarum profuſio, cum ſingultibus, ac maxima animi anxietate non defuit, ob necem tanti Principis: cujus corpus honeſta pro tempore pompa & apparatu delatum ad Feram, ibi humatur: Duobus anteà mẽſibus Maria Borbonica, Franciſci Borbonii, Fani Divi Pauli Co-

mitis patrui filia in uxorẽ ducta; Ludovicum Condæum Principem; Mariam Franciſci Clivenſis Niverſii Ducis primi conjugem, cujus filiæ duæ extãt, Principiſſæ Sereniſsimæ, una Niverſii Duciſſa, Ludovici Gonzagæ vidua; altera vidua etiam Henrici à Lotharingia Guyſiæ Ducis: Catharinam Sueſsionũ Abbatiſſam, propter maximam animæ ſanctimoniam, pietatem, ac miſericordiã, affabilitatémque ſummo omniũ dolore mortuam in ædibus Guyſiæ menſe Maio, anno 1594. Magdalenam Abbatiſſam Sãctæ Crucis Pictavienſis; Renatam Abbatiſſam de Chelles: Et Leonoram digniſsimam Abbatiſſam Frontisvallis, & Prioram meritiſſimam Pruliani Sanctimonialiũ monaſterii, Ordinis fratrũ Prædicatorũ apud Toloſanos, Principiſſam religioſiſsimam, erga pauperes liberaliſſimam, caſtiſſimam atque re-

formatissimam, studiosorum munificentissimam ac benignissimã nutricem, quæ nunc vivit, ejúsq; vitam conservet Deus Optimus Maximus ad annos multos, & fœlices. Anno 1509. Regẽ Ludovicum 12. qui successerat Carolo 8. mortuo anno 1497. Aprilis 7. Ambasii, in Italiam proficiscentem Carolus sectatur: atque inter *Cassan & Pandin*, in pugna *Gaiaradada* dicta contra Venetos fortiter dimicans animi sui fortitudinem, cordis audaciam, sueque juventutis specimen primò ostendit. Anno verò 1514. Octobris 9. Ludovico è vita sublato successit Franciscus Valesius, Ingolismæ Dux, qui postquam anno sequẽti 25. Ianuarii Rhemis fuit unctus, Parisios reversus Carolum Vindocini Ducem primum creavit, ejusdem ducatui Paris titulum perpetuò adiũxit, ipsúmque Carolum Gubernatorẽ civitatis Pa-

Mori Caroli 8.

Mori Ludovici 12.

risiensis,ac etiam Insulæ Franciæ Proregem instituit. Ipsomet & eodem tempore, Rex Carolum Alinconii Ducem,cui matrimonii vinculo copulata erat Margareta eiusdem Regis soror, Franciæ Sanguinis Principem primũ declaravit, concedens ei omnes prærogativas, gratias, libertates, &privilegia,quibus frui solẽt primi Principes Sanguinis in Francia: Scilicet eorum domestici, cõmensales, officiales,famuli, & servi iisdem fruuntur priuilegiis, exemptionibus, prærogativis, libertatibus & honoribus, quibus & Regum frui solent:ubiprimùm civitates regni ingrediuntur, indulgere incarceratis, eósque ad libertatẽ redigere: atque in uniuscujúsque opificii arte unicum magistrum instituere. Hoc item sciendum est,hodierna die apud Francos, in nominandis primis regni post Regem hæredibus,ta-

lem morem aut ordinem obſervari: Videlicet ſi primus hæres, poſt Regem, eſt Regis filius, Delphinus dicitur. Si verò frater, Meus Dominus, vulgò *Monſieur*. Si autem nec filius, neque frater, *Monſieur le Prince* Gallicè nominatur. Hoc eſt Meus Dominus Princeps, abſque aliquo additamento, vel cauda ulla, ut ipſi Frãci loquuntur. Sicque Henricum Borbonium, de quo agimus, cõmuniter vocamus. Et in ſiis, quæ in Parlamentis Latinè aguntur, Franciæ Protoprinceps appellatur. Hæc in gratiam externorum ſcripſimus. Si quis de hac re, & de privilegiis, prærogativis, exemptionibus, ſive de aliis primi Sanguinis Franciæ Principis, Principúmq; dignitatibus videre plura deſiderat, Ioannem Tilletũ Amanuenſem, & Bernardũ Girardũ, Dominũ de Haillan, cæteróſque Frãciæ hiſtoricos accuratè legat.

Carolus Regem in Italiam cõtra Mediolanenſes copias ducentem cum Franciſco fratre Comite Fani Divi Pauli inſequitur. Vbi in pugna prope Mediolanũ ad Marignàn cõtra Helvetios ſtrenuiſſimè pugnans maximo vitæ amittendæ, ſive ab hoſtibus capiendi diſcrimini ſeſe expoſuit, proprio equo tribus lanceæ ictibus confoſſo. Acriter utrinque pugnatũ eſt. Biduò conflictu inito, & reintegrato, auxiliãte tandem Carolo & Franciſco fratre cum reliquis Borboniis, victoria Regi ceſſit. Rex autem domum reverſus anno 1518. Franciſco Comiti Fani Divi Pauli, Caroli fratri, conceſſa gubernatione civitatis Pariſiẽſis, ac etiã regimine Inſulæ Franciæ, additis territorio Sueſſionũ, *Senlis.* & Valeſiorũ, ac præfecturis Sylvanectenſi, Meliodunenſi, & Veromanduenſi, dictum Carolum Proregem fecit provinciæ Picar-

diæ. Quam à Caroli 5. Imperatoris, & Anglorum incursibus, nonnullis hostium castellis, & oppidis captis aliísque dirutis, cũ gloria summa tutatus est ab anno supradicto usq; ad eũ 1524. quo Rex fatali fortuna ac infœlici prælio, dum fortiter pugnaret, à Cęsarianis capitur. Quam rem populus Gallicus ægerrimè ferens, simúlque de Ludovica Regis matre regni Gubernatrice pessimè satisfactus, Carolum precatur, vt totius regni clavum & curam in se susciperet. Carolus tamẽ cùm esset Princeps mitis, fidelis, sapiens, religiosus & providus, non solùm oblata repudiavit: sed etiã ipsum populum monuit, ut disceret fidem erga Regem conservare, & ejusdem Regis volũtati obedire. Ne verò populus in freneſim incideret, ac tumultuaretur, Carolus cũ eo paciscitur. Ita populi ira ac insania sedata, protinus Lug-

dunũ pergit, ubi regni Conventus agebantur. Ibíque non modò à regni proceribus; verùm etiam ab ipſamet regni Gubernatrice Gallici Concilii prę̃ſes primarius declaratur. Omnia itaque cum regni & Regis magno commodo ad Caroli nutũ per totã Galliam fiebant. Carolus igitur bello inter ipſum Regem & dictũ Imperatorem iterum reintegrato, ſumma ſollicitudine & maxima diligẽtia, incredibilíque fortitudine Picardiam ab Imperialibus de-
Amicus. fendit. Demùm Ambiani febre correptus moritur anno 1537.

De Ludovico Borbonio Principe Condæo, ordine 10. *in Arbore.*

LVDOVICVS Caroli Borbonii & Franciſcæ Alinconiẽſis filius loco ſeptimo natus, Cõ-

dæi Princeps, primis nuptiis uxorem duxit Leonoram ~~Rhiensem~~, *de Roÿe.* Comitissam de Rousſy, quæ peperit Hēricum successorem, Frāciscum Contii Principem, virum affabilem, benignum, pium & Christianissimum, Augusti spiritus, animíque intrepidi: qui matrimonii vinculo susscepit Ioannam de Coaesmes Ludovici Baronis de Lucé, & Annæ de Pisleu filiam, viduam Comitis de Montafia in Pedemontanis: cui pepererat Vrbanam Baroni de la Chastra nuptam, sine prole mortuam, & Annam cælibem in vivis agentem: Carolum & Ludovicum geminos, hic obiit in puerperio, ille vixit usque ad annū 1594. quo Mense Iulio Parisiis in ædibus divi Germani Pratensis corporis ergastulo liberatur, cùm esset Cardinalis & Archiepiscopus Rothomagensis, dicti sancti Germani Abbas, fuítque Prin-

ceps munificentissimus, virtute eximia, animi modestia, gravitate, ingenii acumine, & eruditionis præstantia, literatorum omnium maximus fautor, ut qui literarum erat studiosus, tanta insuper mansuetudine, & clementia, ut nemo unquam ab eo tristis discesserit: quocirca non alio affectu perpetuò lugebit eum universa Gallia, quàm si communis omnium, Ecclesiasticorum ac Regularium præsertim, parens interiisset. Peperit etiam Leonora Catharinam, & Margarétam, quas ante maturitatem mors rapuit. Secundis verò nuptiis duxit Ludovicus Franciscam Aurelianensem Leonoris Lõgavillæ Ducis sororem, ex qua suscepit Carolum Suessionum Comitem, qui licet inter superstites fratres minimus natu sit, non tamen in eo minus virtutum clarissimarum, ac etiam multiplicium dotum

ſpecimen omnes experti ſunt: Ludovicum & Benjaminum, ambos è vivis ſublatos. Ludovicus igitur Princeps animi invicti, bello ſtrenuus, occubuit in prælio Baſſacacenſi 21. Martii anni 1569. Illius mortem hoc præſagium anteceſſit, quòd quamvis non ſit ex eorum numero quæ de cœlo cõtingere ſolent: tamẽ cùm animorum motus magúam poſt ipſum cœlum in rebus humanis poteſtatem habeant: non erit inutile ſi illam hiſtoriam hîc obiter inſeramus. Quatriduũ ante hujus Principis mortem, in Epiſcopali Santonũ civitate ita cõtigit, ut omnes omnium Ordinum pueri & adoleſcentes à 9. & 10. anno uſque ad 15. 20. & 22. circiter convenerint, & ſibi ſuo nutu duos delegerint armorum præfectos, pro quibus ab utráque parte uſque ad mortem decertarẽt. Eorum unus fuit ipſe Princeps Condæus, ab

illis ita nominatus : alter *Monsieur*, quod est meus Dominus, quique vocabulo usitato apud Francos primum Regis fratrem, regniq; hæredem, ipso Rege sine stirpe masculina in vivis agente, designat. Hic *Monsieur* Henricum Caroli Maximiliani ejus nominis 9. qui tunc temporis regii exercitus erat generalis præfectus & ductor, referebat. Sic igitur triũ dierum spacio ab istis adolescentibus & pueris utrinque acriter certatum est, ut tandem post varios eventus suarum pugnarum, quæ lapidibus, fustibus, & aliis armorum generibus usque ad bombardulas gerebantur, acciderit, quòd Princeps ille Condæus ictu bombardulæ capiti inflicto circa undecimam horam matutinam occubuerit. Quo genere mortis ipse Princeps eâdem hora occisus fuit. Nonnulli aiunt id eveniisse sex ante dies, quàm Princeps

occumberet, totámq; illam Santonum civitatem fuisse commotam, & ad sedandas istas puerorũ pugnas valdè intentam, omnia, quæ posset, impendisse: sed nullo profectu. Quod etiam olim aiunt observatum apud Iulium Obsequentem: & deinceps econtrà factum Rupellæ, ut pueri ante obsidionem se invicem provocarẽt nomine urbis Maioris, & Regis. Regnabat per id tempus Carolus 9. antè nominatus. Ac quamvis diu in acie perstitissent, tandem ad multos dies cõposito fœdere, vnumquemque domum suã rediisse asserunt. Hæc mihi narravit vir quidam probus & verus: quiq; mihi ipsi se hujúsce rei oculatum testem fuisse multis verbis confirmavit. Non multos post dies anno currente 1572. Rupella obsidione cingitur, fuítque cincta per tot mẽses, sex videlicet, quot fuere dies, quibus pugnæ illæ actę

fuerant, quasi præsagio quodam: cùm post obsidionem ipsi Rupellæ pax obtigerit Regis jussu, & Henrici ejusdem Regis fratris auguratione in Regē Poloniæ. Sicuti pueris nihil tale cogitantibus acciderat, ut Regem quendam constituissent, ante suas dimicationes, qui utrisque partibus imperaret, & alterum simul Regem futurum, si quo modo vinceret, appellarent: vicerat autem cùm in deditionē recepisset illam urbem Rupellæ, quam obsederat: ita fuit fortunæ ludus.

De Henrico Borbonio Principe Condæo, ordine XI. *in Arbore, in qua depingitur.*

HENRICVS Borbonius Princeps Condæus, Ludovici & Leonorę Rhi-oy, ensis filius primogenitus, primò sibi conjugavit Mariā

Clivenſem, Marchionem Iſlæ, filiam Franciſci Clivenſis Niverſii Ducis, & Margaretæ Borbonicæ amitæ ſuæ. Ex qua filiam unicam procreavit Catharinam, quę anno 1596. quadrageſima currente cælebs obiit. Secundò Carlottam Catharinam, Ludovici Trimollii Thuarſii Ducis, & Ioannæ Montmorantiæ, hodierni Comeſtabilis Henrici, & ejus fratris, regni Archithalaſſi ſororis filiam: quæ peperit Leonorã, natam anno 1587. Aprilis ultima: & Henricum poſthumum ſucceſſorem, & Sanguinis Frãciæ Principem primariũ primúmque Parem, natum anno 1588. Septembris prima. Vitam cum morte cõmutavit Hẽricus anno prædicto Martii quinta, Carlotta uxore trium menſium, & aliquot dierũ gravida relicta, & hoc nomine ſuis magnopere cõmendata. Fuit Henricus Princeps ſtrenuus, &

bellica experientia in exercitu ducendo clarus: cui nihil ad omnia, quæ fortis & ſagacis ducis officium ſpectant, unquam defecit: ſatis ſupérque ab hiſtoria commendatur. Anno 1587. Octobris die 20. pro Rege hodierno, qui tunc temporis Navarræ tantùm imperabat, militans, ad Cutratiũ fortiter cum hoſte dimicavit. Cúmque inter primos pugnaret, ictu lanceæ in latere accepto, ab equo dejectus eſt, equúſque cõfoſſus; ſub quo aliquandiu oppreſſus contuſum fuit illi crus dextrum, quod per aliquot dies aſportavit faſciis involutum. Indéque uſque ad interitum ſuum de dolore lateris in quo ictus inflictus fuerat, ſemper conqueſtus eſt. Facta pugna Rex Navarræ Bearniam contendit: Princeps verò ad Santones remeavit, ut diligenter & expeditè rebus omnibus provideret, victoriæq; ſpo-

liis potiretur, suáq; firmaret, quò facilius ac tutius Germanis, iam ad Ligerim castrametatis obviam iret, quibus se adjungere summopere optabat. Dum itaque huic sese accingit itineri, captis nonnullis hostium castellis in confinibus Sancti Ioannis ab Angely Fani, morbo grauissimo cæpit laborare, atque etiam de stomachi dolore conqueri. Super quo habito consilio doctissimorũ medicorum, qui ad id fuerant vocati, meliusculè se habere incepit. Iter igitur aggressus & ad *Rochebeaucourt* appulsus recidivam febrim passus est, eodem, sed graviore, ventriculi dolore vexatus. Dira & sæva symptomata Principis assectas angebant: timebant namque nequid intẽpestivè in pharmacis illi esset oblatum. Morbus ergo, ac etiam triste de Germanis ad *Aulneau* devictis, atq; profligatis allatum nuntium, eũ do-

S. Iean d'Angely.

mum regredi coegerunt. Dictum ſancti Ioannis ab Angely Fanum illico repetiit, tanta proſtratus mœſtitia, tantóq; animi mœrore confectus, ut etiam valde mutatus à ſe ipſo videretur. Creſcebat ſtomachi dolor, vires acquirens eundo, cum quo nihilo ſeciùs pro virili, animique conſtantia variis remediis colluctabatur. Sed nihil morantur fata. Die tertia Martii anno 1588. cùm plùs ſolito corpus exercitaſſet, & per ludicrum concitato equorum curſu lancea multoties annulum transfigendum ſtuduiſſet, equúmque ſternacem ac calcitronem in girum rectáque in auras ſaltantem egiſſet, circa Veſperum dolore ſupramodũ tabeſcere cœpit. Fuit itaque morbus adeò efferus & acutus, ut die Sabbathi quinta menſis prædicti Martii, circa horam poſt Meridiem tertiã ſubitò è vivis raperetur, uxore tamẽ prę-

gnante multis nominibus commendata. Mors haud ſatis præviſa miniméque ſperata multorũ animos in diverſa diſtrahebat. Cadaver à chirurgis diſſecatur. Aſtantes medici de lethi cauſa, inter ſe decertantes, non conveniunt. Alii veneno interemptũ, ob quaſdam in ſtomachi tunicis lividas notas aſſerũt. Alii ſtrictiùs rem intuẽtes, id negantes, eaſdem notas ſine veneni ſuſpicione adeſſe palàm conteſtabantur. Quorum ſententia paulo pòſt ab univerſa Montiſpeſſulani Academia ſolemni conſilio confirmata eſt. Sed tantùm ſerpſit ac vicit de veneno dato opinio, adeóque ab invidis Principiſſæ iſtius ſuſcepta fuit: ut, nulla habita ratione ſententię ac teſtimonii à medicis lati, hiſtorici, qui tunc quoſdam tẽporum centones exaravêre, diverſa à vero multùm diſcrepãtia, innata illis maledicẽdi ac obtre-

ctandi perverſa conſuetudine: præſertim ob periculum ſuæ (ut vocant Reformatæ) Religionis, quod ipſis defuncto tanto Principe iſtius fautore præcipuo eminebat, in lucem emittere nõ erubuerunt. Quod autem venenum magis arguere videbatur, id potiſſimum erat, quia Princeps anno 1572. venenum certò hauſerat: Cujus tamen periculum prompto medicorum auxilio effugerat. Poterant tamen veneni iſtius reſtaſſe quodammodo veſtigia, atque impreſſione facta in ventriculi tunicis paulatim ſtomachũ debilitaſſe: de cujus dolore Princeps longè ante ſuum obitũ perpetuò conquerebatur.

De Henrico Borbonio Franciæ Protoprincipe primóque Pare, Guiennæ Prorege, 12. in Arbore, in qua depingitur.

HENRICVS Borbonius primus Sanguinis Frãciæ Princeps, primúſq; Par, Cõdæi Princeps, Guyẽnæ Prorex, Henrici & Carlottę Catharinę filius poſthumus, Herôum ſuorum ſucceſſor nõ ſolùm, ſed etiã promptitudinis, ingeniíq; vivacitatis, memoriæ bonitatis, urbanitatis, docilitatis, morúmq; probitatis hæres agnoſcitur. In quibus, cæteríſque dotibus Gallico Principe dignis, quẽadmodum prudentiſſimum ac ſolertiſſimum Dominum Ioannem de Vivona Marchionem Piſanum morum inſpectorem, D. Nicolaum Fabrum, in ſupremo Senatu Pariſienſi digniſſimũ advocatũ, virum gravitate morum, pietate & doctrina inſignem, præceptorem habet: ita Deo Omnipotente juvante, ſedula illuſtriſſimæ, maximéq; piæ Matris educatione, necnõ eorum, qui juventæ

ejus inſtitutioni præſunt opera, maius incrementum indies ad Regis Chriſtianiſſimi obſequuim & Gallicæ Coronæ tuitionem capturum ſperamus. Is mortuo Henrico patre adhuc in ventre Matris exiſtens, in dicto ſancti Ioannis ab Angely Fano cuſtodia concluditur ab eorum nonnullis qui Religionis Reformatæ ſe dicunt. Quippe qui in Carlottam matrem, à ſe in ergaſtulo detentam dicteriis quamplurimis, maledictis, ac impoſturis, variiſque probris furere, ac debacchari videbantur. Ejúſque famam eorũ miniſtri non ſolùm per partes Galliæ, & Angliæ, quod propriis auribus audivimus, ſed etiam per omnes Europæ provincias famoſis ſuis libellis, mendaciis, atque ludibriis plenis, nefariiſque ſceleribus fœdabant, & coinquinabant. Vixit vidua iſta in afflictionibus & miſeriis multis ac cala-

mitatibus. Tandem dum tempus opportunũ experta eſt, de rebus Principis filii ſui valde anxia, ad D. Comeſtabilem avunculum ſuum, cùm in Gallia Narbonenſi agentem, tum poſt ejus ad Regẽ adventum, frequentiſſimos mittit nuncios, per quos de ſua ipſius voluntate ac deſiderio ille fieret certior: eidémque proponit tempus inſtare, quo Rex exorandus foret, ut ſibi & Principi filio providere curaret. Id enim, ni maturè fieret, res ſuas maius detrimentum capturas enunciat. Itaque iis perſuaſionibus, pluribúſque rationibus cõmotus Rex clementiſſimus, qui tunc temporis Digionis agebat, de eo negotio prudenti conſilio habito ſanciit, ut Ioãnes à Vivona, ſuprà nominatus Pizanii Marchio, utriúſque regii Ordinis Eques, in ſacratiori ſenatu Conſiliarius, quinquaginta equorum cataphracto-

Dijon.

Sancti Michaelis & S. Spiritus.

Pisani
supra ad
St Joan
de Angely.

rum dux, Santonũ Seneſchallius, hoc eſt præfectus, vir multis nominibus clarus, incolis & exteris ſatis ſupérque notus, inter tot Franciæ proceres ille unus ſeligeretur, qui Principis adoleſcentuli moribus præeſſet, illiúſque teneros annos regeret ac moderaretur. Igitur Marchio, executione muneris ac negotii ſibi cõmiſſa, ad Sancti Ioannis ab Angely Fanum, quod eſt in Sanctonum finibus, ab Rege miſſus proficiſcitur, ut Principiſſam cum liberis ſuis inde abduceret: eóſque ad ipſum Regem properantes comitaretur. Rem ſanè adeo difficilem aggreditur ille. Multa enim videbantur offerri impedimẽta. Idque non ſine magnis animorũ motibus fieri poſſe omnes fermè judicabant. Hi autem (quos Reformatæ Religionis vocant) ſub quorum poteſtate Princeps degebat, ægerrimè ferebant, quòd

Majeſtas

Majeſtas ſua Principem ac ejus Matrem tam levi negotio (vt inter ſe abloquebantur) inde diſcedere juberet. Erat præterea, dicti Fani præfectus circa Matrẽ & Filium non bene affectus: in votíſque habebat eorum fœlices eventus non ſolum impedire, ſed etiam funditus evertere. Verumenimverò ſumma prudentia, vigilíque cura apud cives tanto favore & gratia invaluit Principiſſa, ut eorum melioris notæ animos mirum in modum ſibi cõciliatos haberet. Omnia quoque tã ſagaci ſtudio, & bona mente illa compoſuit, ut (ſi oporteret) adverſariis invitis Regis mandata exequi poſſe non dubitaret. Inde factum eſt, quòd facilior pateret aditus D. Pizano: qui ſancti Ioannis ab Angely Fano appropinquans 22. Octobris anno Domini 1595. ab urbis præfecto extra mœnia ſalutatus, atque in dictam

urbẽ introductus Principes adiit: quibus ante omnium oculos Regis mandata declarat. Altera verò die ad Pizanium domum ſuam ſe cõtulit. Exinde poſt dies duos urbem repetiit: Deo autẽ ob nimiam ſuam pietatem ſic ordinãte, 26. Octobris ex ea liberè omnes diſceſſere. Iam antea Rex ſcripto edixerat omnibus præfectis eorum locorum, per quæ Principes eſſent tranſituri, ut toto itineris decurſu tuta, armatáq; manu illos conducerent: Necnon civitatum & oppidorum Conſulibus, ut Principem honore ampliſſimo proſequerentur, & magnificè intra muros admitterent, eúmque agnoſcerent, ſalutaréntque ceu regni hæredem, ſuúmq; verum & legitimũ ſucceſſorem, donec ei legitima liberorũ maſcula proles Deo dãte naſceretur. Regis nutui primus obtemperavit D. de Maſséz, ſub Ducis Sper-

nonii auspiciis Santonum præfectus. Is die prædicta ad S. Ioannis ab Angely Fani suburbia cũ ducentis equitibus comparuit, & ad Mellam usque, Pictoniæ ditionis urbem comitatur Principẽ. Quẽ D. Malicornius Eques auratus quadringentis cum equitibus lætanter excepit, móxque ad Pictonum civitatem duxit. Obviam veniunt illi, Dux Albefius, ejúsce civitatis Gubernator, omnes Pictavienses Ordines ac Frãciæ thesaurarii. Habuêre ad Principem orationes, provincię prætorius, & *Lieutenant* Sammarthanus Præses : quibus *S. Marthe.* pressa & concinna oratione Principissa suo Principísque nomine satisfacit & gratulatur. Tota civitas armis undequaque exultabat : Omni gaudio & lætitia diffluentes ad Principem convolabant ; cives numeratos, armatósque loci Maior in medium abducit : Viæ tapetibus, & aulæis ster-

nuntur. Ad oſtii ingreſſum Principi offertur ſerica umbella, quã Principiſſa mater fortiter recuſauit, & abnuit, nefas eſſe rata tãto honore cohoneſtari Filium; adeo Regem perpetuò venerata eſt. Rector Academiæ ejuſdẽ civitatis Principi, ejúſque proſpero adventui placita oratione bene
c ominatur. Eccleſiaſtici ſoléni &
c publica pompa non venêre obviã
c Principibus, quoniam adhuc ſa-
c croſanctam fidem Catholicam,
c Apoſtolicam & Romanam haud
c profitebantur. Verumtamen in ædibus Excellentiſſimę Dominæ Ioannæ Borbonicæ Conventus Monialium Sãctæ Crucis Abbatiſſæ honoris ergò illos privatim convenére. Fuit denique in hac civitate ſummo cum honore ac omnium applauſu Princeps perbenignè exceptus; in ipſius & Matris laudem varia dicata poëmata. Pictavio demùm Principẽ

excedẽtem Dux Albefius ad Põtem Anſarum uſque deducit. Inde ille, D. Malicornio cum toto ſuo comitatu ſibi adjuncto, Caſtelleraudiã adventavit. Vbi ſumma etiam cum lætitia ab omni populo ſuſceptus umbellam ſibi oblatam, ob jam dicta, intrare recuſavit. Eccleſiaſtici ad urbis portas glorioſo augurii præconio benè illi precati ſunt. Eum itẽ, divina cantica, hymnóſque dulces canentes, ad caſtellum, in quo domicilium paratum erat, fideliter, & benevolè concomitantur. Hîc Princeps à D. Marchione, Romanis ceremoniis primò ini-, tiatus, oblatam Sãctiſſimã Chri-, ſti crucem magna cũ reverentia,, acveneratione oſculatus eſt. Hoc, licet ſatis iniquo animo tulerint viri illi noſtræ Catholicæ Religioni contrarii, (qui intra ſe frementes acriter aſſeverabant, id temerè fuiſſe tentatum in urbe,

Pont aux Anſes.

Chaſtelleraud.

quæ esset suæ ditionis) tamen eorum nullus ausus fuit eapropter coràm verbũ, aut querimoniam proferre. Castelleraldia Princeps egressus, eum etiam D. Malicornio sequente, ad Hayam, Turonum pagum, advenit, quem aliorum instar D. de Souvray Eques auratus, Turonensis Gubernator insequitur, Turonémq; cum illo ingreditur. Vbi quoque summa lætitia, & perspectissima benevolentia à civitatis Maiore, omnibúsque civibus honorificentissimè exceptus est. Commorantur Principes Turone spatio septendecim dierum; quibus expletis
Chenõceau. ad Canocellum iter agunt, Ludovicam à Lotharingia Reginam Henrici 3. Regis Christianissimi viduã salutaturi. Eos Regina benignè admodũ, plurimísq; amoris & benevolentiæ amplexibus susceptit. Hinc, Reginæ pro more Vale dicto, ad Mont-richardum

proficiscuntur. Die altera ecce adest D. de Ville-comblin, qui Principi Blosios properanti viam commonstret. Insuper Blosiis viis tapetibus instructis summa cum totius populi acclamatione Princeps receptus Regiã petiit: Ibíq; publicis sumptibus lautè & opiparè convivium paratum erat. Exin ad Clerycum pagum ventum est. Indéque ad Sancti Laurentii Fanum: ubi à D. Marescallo de la Chrastra magno nobilium comitatu, universíque Aurelienſibus armatis civibus, ac maximo apparatu Princeps Aureliam ductus, umbellam quoque sibi oblatam ingredi renuit. Nullibi meliùs quàm hîc Princeps exceptus est. Eum Aurelia discedentem, sua equitum turma, cui D. de Montatero suo nomine preerat, stipatũ D. de Entregas ad Stampium usq; subsequutus est. Vnde ad D. Germani Fanum ad Hayam, pe-

Blois. *Clery.* *Estampes.*

nes Regis expreſſum mandatum, voluntatem ac conſultum 3. Decembris fœlici omine, boníſque avibus incolumis pervenit. Proximis ſubinde diebus ipſius Regis Chriſtianiſſimi decreto Præſides ſupremi ſenatus Pariſienſis cum toto ſenatu, Procurator, & Advocati generales, cæteríque Senatores Principem veniunt ſalutatum: ad quem Achilles de Harlay dicti ſenatus Protopræſes luculentam orationem, ſapientiſſimis ſententiis, gravibúſque verbis ornatam, atque hominũ ſenſibus ac mentibus accommodatã habuit. Quæ dicta Principiſſa mater ob filii minoritatem Deo, Regi, Protopræſidi, ac omnibus aſtantibus gratias egit ſummas. Venerunt quoque ob eandẽ cauſam magnus Præſes magni Conſilii cum aliis Præſidibus, Conſiliariis ac Senatoribus. Magnus item Præſes primus Cameræ cõ-

putorũ cum reliquis Præsidibus & officialibus: ac etiam Præsides & Cõsiliarii curiæ, quæ Subsidiorum dicitur: & alterius Monetarum dictę. Itémq; Mercatorũ prę-fectus, ac reliqui Parisiensis Reipublicæ Ordines. Ad illos siquidem paulo antè Rex tales dederat literas, quarum exemplar hîc inseruimus.

EX PARTE REGIS.

CHarissimi & plurimùm amati: Nos certiores facti de brevi advẽtu charissimi, ac amantissimi agnati nostri Principis Condæi ad nostras ædes D. Germani Fani ad Hayam, ad quas ipsum deducendum jussimus, desiderantes ut à vobis & agnoscatur & habeatur & tanquã PRIMVS PRINCEPS *nostri* SANGVINIS *& hujúsce Coronæ hæres, donec Deus legitimam sobolem nobis concesserit, sicut reliquas hujúsce regni ciuitates antecellitis; eis quoque specimen & documentũ*

feratis, quantus honor Sanguini tali debeatur, vobis mandamus, imperamúsque, ut catervatim dictum agnatum noſtrum viſitetis, ſalutetíſque ubi primum ad prædictas ædes D. Germani Fani applicuerit. Quemadmodum autem dictum agnatum noſtrum non ſecus ac filium diligimus, ſperantes illũ & publicæ & noſtræ expectationi ſatisfacturũ, gratum erit nobis veſtrum in hac re officium, quod quidem omnibus probabitur. Obtemperate igitur: ſic enim volumus & jubemus. Dat. in caſtris ad Feram Novembris die 17. anno 1595. Cui ſubſignatum erat, *Henri*, & inferius, *De Neufville*. Obſignata erat epiſtola Franciæ ſigillo, & ei addita erat ſequens ſuperſcriptio: *Chariſsimis & plurimùm amatis Præfecto Mercatorum, Conſulibus, civibúſque bonæ civitatis noſtræ Lutetiæ Pariſiorum*. Præterea Contii Princeps, & Sueſſionum Comes ad ipſum Principem ſuũ nepotem ex fratre ſeniori legatos

misêre, per quos ꝑpriis literis suis felicẽ illi & faustũ precabãtur ad Regẽ accessũ. Interjectis aliquot diebus, Contius ipsemet invisit eundem nepotem. Is interim Regis jussu in Catholica, & Apostolica Religione instruendus traditur viris doctis, piis, & devotis: quorum exemplo & doctrina imbutus veram & legitimam Ecclesiam cupidè amplexus est. Die Mercurii, quæ fuit 17. Ianuarii anni 1596. in Sancti Antonii Abbatis festo apud dictum Fanum D. Germani ad Hayam à Reverẽdissimo ac Illustrissimo Domino D. Cardinale de Gondy, Parisiensi Episcopo, quibusdam Doctoribus, necnon viris doctis, gravibus, & piis quamplurimis assistentibus, maxima totius Franciæ lætitia, omniúmq; applausu summo ad Ecclesiæ Romanæ gremiũ receptus fuit: cum annos haberet septẽ, menses quatuor, & dies 17.

Ab hac die Ioãnes Fileſac, ſacræ Theologiæ Doctor, Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Dominę Pariſiẽſis Canonicus, mãſit apud eũ uſq; ad Quadrageſimam, Rege ita approbante, ut illius mores propiùs, & rectè inſpiceret, eúmque, ſi neceſſe eſſet, rectiùs inſtrueret. Qui perſpecto Principis ingenio miti, placido, & ad omnes virtutes apto nato, magna cum animi ſui lætitia, & Principis admiratione ad ſuum cõcionandi munus inſtante Quadrageſima, venia etiã impetrata, receſſit. Carlottæ matris aſſiduæ preces hoc negotium promovêre. Sacroſanctæ enim Religionis Romanæ myſteriis, ritibus ac ceremoniis, ipſa nondum eandem Religionem profeſſa, Filium imbui optabat incredibiliter. Hujus rei teſtis oculatus egomet sũ. Cùm primùm enim Principem hunc ad ædes D. Germani Fani veniſſe intellexi, ob veterem ne-

ceſſitudinẽ, quam habebam cum D. Marchione Pizanii (interceſſerat namq; inter eum & Regem meum Dominũ Antonium Portugalliæ magna & familiaris amicitia) mox cum quibuſdam amicis meis illuc dictũ Marchionem inviſi. Marchio me honorificè ac benignè à ſe receptum duxit ad Principem: Cùi, poſtquã ille me affabiliter tractaſſet, atque tam familiariter, ac ſi me ab incunabulis cognoviſſet, alloquutus eſſet in multorum conſpectu, ſpopondit, me, dum ad Eccleſiæ gremium foret ſuſceptus, apud eum ipſum miſſam celebraturũ. Princeps ob hanc rationem pulcherrimo ſuo & hilari vultu ad me converſus (animus enim ejus hac promiſſione geſtire videbatur) an id facturus eſſem inſtãter efflagitabat. Ego ad hęc: Sum Excellentiſſime Princeps Regis Chriſtianiſſimi Eleemoſynarius: ea ppter

Hoc eſt nobilis Capellanus.

ad dicẽdam Miſſam coram Celſitudine veſtra ex iure teneor. Iterũ ille: Id à te ſcire cupio, an ante me facturus ſis Rem divinã, cùm primùm gremium Sanctę Romanæ Eccleſię fuero ingreſſus? Mihi autem, me ita acturum affirmãti gratias ingentes ipſe egit, ſeque admodum hac re cohoneſtatum iri lætanter aſſeruit. Certior de iis facta Principiſſa Mater, ut abſque dubio promiſſum implerem, me coram D. Marchione, plurimíſq; aſtantibus ſummopere rogavit. Accidit id (ſi benè memini) 16. Decẽbris. Non multos poſt dies ad Feram, ut ibi agerẽ cum Rege de quibuſdam mei Ordinis negotiis, profectus ſum. Vnde undecima Februarii Pariſios reverſus 14. menſis ejuſdem in ædibus D. Cancellarii præter opinionẽ inveni obviã eandem Principiſſam. Ipſa ea omnia, quæ acta fuerant menſe ſuperiori in Principis filii

sui ad Sacrosanctæ, Catholicæ, Apostolicæ, Rom. Ecclesiæ gremiũ receptione, mihi certè summo cũ gaudio & lætitia particulatim retulit: Méque, ut fidem meam liberarem, multis precibus hortata est. Ego verò tot postulationibus, ac rationibús, imò jussibus ligatus & obligatus Dominica sequẽti, quę fuit prima Quadragesimæ, D. Germani Fanum adiens, hora octava matutina, ut satisfacerem promissis, Principi me obtuli. Aderant omnes ferè domestici ejus. Ille me suscepit tanto honore & cordis lætitia, ut nullus, ob tenerã illius ætatẽ, absque admiratione dicere queat. Missam dixi. Mihi alacriter, & lætanter congratulabatur ille: & Mater simul. Prædicta non otiosè scripsimus, imò ea palàm retulimus: ut omnibus illucescat, Principem hunc nõ sine consilio, nec sine instructione, aut contra Matris institutionem, vel

Regis jussum, nec raptim, nec invitè: sed cum summo illius desiderio, suæque illustrissimę Matris sincero studio: adeóq; cum tanto pietatis sensu in hac sua ætatula in Ecclesiam fuisse susceptum. Et mirũ quàm bellè illa vera Sancti Ludovici proles Herôum avitam fidem cupidè & ardenter sit amplexus: veram doctrinam Ecclesiæ Catholicæ professus, & cum ingenti gaudio omnem errorem fuerit detestatus: & ipsam hæresim spõte sua puerulus abjurarit, ut etiam ipsis Doctoribus instaret vehementiùs ac dolorẽ tantę moræ subinde testaretur. Nec verò quicquã prætermisit erga suos juvenes nobilissimos assectas, quin eos hortaretur continuò ad veram fidei Catholicæ observationem, eandémque ipsis amplectentibus summopere gratulabatur. Ipse posteà 21. mensis Iulii ejusdem anni die Dominica, ve-

luti primarius Sãguinis regni Frãciæ Princeps expresso Regis mãdato, magna procerum, & primæ notæ nobiliũ comitatus caterva Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Alexandrũ Medices Cardinalem & Archiepiscopum Florentinũ, Summi Pontificis à Latere Legatum, cùm ei obviam iisset, hac concepta oratione affatus est.

Illustrissime ac Reverendissime Domine Legate, ingenti me quidem honore Rex prosequutus est, quòd me, minimè adhuc provectæ ætatis hujus obsequii muneri delegarit: ut ejus nomine Tibi occurrerem, ac testarer, quàm vehementer lætetur à Sanctissimo Domino Papa legationem istam viro Cardinali adeò insignis notæ, qua Te præditum esse palàm omnes norunt, demãdari. Itaque Regis jussu Te faustè, fœlicitérque huc appulisse certiorẽ facio: quæque à Christianissimo Rege, & Sedis sanctissimæ Apostolicæ valde stu-

dioſo & obſequẽti filio, quíque ſummo ſtudio ac potiùs pietate Sanctiſsimum Dominũ Papam, ac ſacroſanctum Cardinalium collegium comiter obſervet, expectari poſſunt, in illo eſſe planè omnia confidas.

Cùm autem Illuſtriſſimus ac Reverẽdiſſimus D. Legatus, hac oratione habita Principis, humaniſſimo, amantiſſimóq; amplexu, oſculóque quàm grata hæc dicta ſibi eſſent, ſed & verbis ſuaviſſimis patefeciſſet, Princeps denuò illum alloquutus eſt.

DE Me verò Illuſtriſsime, ac Reverendiſsime Domine Legate id ſanè Tibi perſuadeas, nihil Mihi quicquam tam ex animo, adeóque gratum contingere potuiſſe, quàm hanc occaſionem profitendi quanto honore proſequor, quámque comiter obſervo, tùm præclaram illam Sanctiſsimam Sedem, tùm Sanctiſsimum Dominum Papam, quæque ad jus, & auctoritatem Sanctitatis ſuæ pertinent. Sed & tu Illu-

strissime, ac Reverẽdissime D. Legate penitus existimes Te à me, quoad vivã, & amatum & observatum iri. Abs te verò peto, ut me itidem carum tibi, commendatúmque esse cures.

ORATIONE ab Excellentissimo Principe aperta & exporrecta fronte lepidissimè prolata, confestim Supremi Senatus Parisiensis Protopræses, cũ aliis Præsidibus, & Consiliariis; Procuratore generali, ac regiis Advocatis, cæterísque ejusdem Senatus non solùm, sed etiam Cameræ Computorum, Subsidiorum, Monetarũ, aliarúmq; supremarũ officialibus (necnon Mercatorum Prefectus) ad D. Legatũ accedens, fœlicem faustúmque adventum brevi oratione precatus est. Idem fecêre reliqui.

HIS rebus peractis cœpit Illustrissimi ac Reverẽdissimi D. Legati deductio procedere. Cúmq; ille hoc ritu ac ceremonia ad Ec-

cleſiam Cathedralem deduceretur, expectanti pene omni Pariſienſi populo & applaudenti, tùm Illuſtriſſimo ac Reverẽdiſſimo D. Legato, tùm Excellẽtiſſimo Principi, (qui illũ cum Domino Henrico Borbonio, Montpẽſerii Duce, Principe Sanguinis, proximè ſequebatur) pulcherrimæ ejúſce frontis, & eximii vultus forma, omni ex parte virtutum in eo futurarũ, inenarrabili lætitia, & incredibili hilaritate omnes quotquot aderant ad cõclamationem laudis, & applauſus ſummoperè excitabat.

Finis Epitomes rerum ab Henrici Borbonii Maioribus geſtarum, ejuſdémque Henrici genealogiæ explicationis, à Sancto Ludovico repetitæ.

ORDO GENERIS, NONNVLLA'Q. GESTA, *Herôum excellentissimi Henrici Borbonii Frãciæ Protoprincipis ex parte Matris Carlottæ Catharinæ Trimolliæ, nunc recens exorsus.*

TRIMOLLIORVM familiam à quingentis jam annis in maxima authoritate atque gratia apud Principes fuisse cõtestantur historiæ. Huícq; familiæ Audebertus Trimollius vir nobilis, dives & potens, strenuus, fortis, ac in re militari peritissimus, primus parens attribuitur. Is regnante in Francia Philippo primo, expeditione

in Terram Sanctam deliberata, cum Hugone dicto Magno, Regis fratre, uxoris ratione Veromanduorum Comite: Roberto Duce Normaniæ, Gulielmi Nothi Conquæstoris Angliæ Regis filio primogenito, qui Rex primus electus fuit Hierosolymæ: Gothofredo Buillonæo, Lotharingiæ Duce, & Balduino ejus fratre, cæteríſque Principibus cũ nobilibus quãplurimis in Asiam proficiſcitur, ibíque decumbit, filio ex legitima uxore relicto Gulielmo. Quippe qui Ludovico Craſſo, & filio Ludovico Iuniori, Franciæ Regibus, contra Anglos & Flandros multa præſtitit. Ipſúmque Iuniorem, Divi Bernardi monitis ſuaſum, ad Sacrum bellum gerendum profectum comitatur, filio Annielo, legitimè habito vivo relicto: Qui Philippo Auguſto bellum contra Ioannem Anglum gerenti mirificè ad-

fuit. Eodémque Augusto imperante, contra Albigenses, illius tempestatis hæreticos, Simonem Comitem de Montfort, hominẽ prudentem, strenuum, nec minus religiosum, arma suscipientem, devotione summa, zelóque piissimo sequitur. Hoc exemplo cõmotimulti, fervidi charitatis proximorum, viri virtute præstantes, pro hæresis extirpatione, & fidei Catholicæ defensione se ipsos & animas suas in holocaustum tradidêre. A quibus tunc adunatis Divus ille Dominicus Ordinis Prædicatorum institutor, & auctor, ex illustrissima Gusmanorũ prosapia ortus, qui hæresim toto animi conatu, vita & doctrina impugnare primùm institit: quíque nõ minus immaculatæ vitæ exẽplo, qnàm doctrinæ suæ soliditate, & arguebat hæreticos, & fideles confortabat in dubiis, anteſignanus effectus est. Bellum id

per Ludovicum 8. peractum fuit. De prædicti Annieli morte nullam mẽtionem faciunt hiſtorici, neque ejuſdem patris, ac avi: uxoris etiam matris, & aviæ nomina reticuerunt ipſi. Vnde hoc provenerit ſæpenumerò excogitavi. Verumtamen in cauſa fuiſſe, non modò hiſtoricorũ negligentiam verùm etiam (quod veriſimilius eſt) ducatus Burgundiæ, Trimolliorum antiquæ patriæ, viciſſitudines. Id enim fecêre ſemper novi dominatores: videlicet veterũ poſſeſſorum memoriam penitùs extinguere elaborarũt. Occuparunt Galliã Franci: quid de Gallis reperitur? Saxones & Angli Britanniam: quid de Britannis? Carthaginenſes, Romani & Gothi Hiſpaniam: quid de primis illis Hiſpanorum progenitoribus, vel (ne prolixiùs ultrò citróque progrediamur) de aliis quamplurimis nationibus ab externis occupa

cupatis ? Vestigia obscurissima. Fuêre tantùm. Idipsum ob Dominii, de gente in gentem mutationem in Burgundia accidisse arbitramur. Hac quidem de causa, nimirùm quia historici prædictorum Trimolliorũ seriem, annos vitæ, atque eorum exitus non planè scripserint: vel quòd eorũ monimenta ob dictas vicissitudines sint deperdita, non ab Audeberto, sed ab ejus pronepote Imbaldo in Arbore exordium sumere decrevimus.

De Imbaldo Trimollio ordine primo, qui est depictus in arbore.

IMBALDVS Trimollius ex antiqua Trimolliorũ nobilitate oriũdus, Ludovici 8. tempore florens, uxorẽ sibi elegit, ut referunt Annales Aquitaniæ, Dominam

quandam, è Cabilonensi familia ortam: quam tãdem probabiliores de hac re historiæ in uxorem dant filio ejus primogenito Imberto, eámque Ioannam nominant: conteſtantúrque, dictum Imbaldum in uxorem duxisse Alidem à Castro, fœminam nobilissimam, antiquo & illustrissimo Castrorum sanguine prognatam. Quæ (ut conjicimus) ex Hispania in Galliam pervenerat in comitatu Christianissimæ Reginæ Blãcæ, dicti Ludovici 8. fidissimę cõjugis, Alphonsi cognomẽto Nobilis, & Leonoræ Plantagenetæ Anglicæ, Regum Castellæ filiæ. In more enim positum est, Reginas & Principes, cùm ad externa regna conjugii causa mittuntur, non solùm secum adducere matronas, quarum instructione, & consilio gubernentur: sed etiam puellas, quarũ puellari ac patrio consortio delectentur. Hac ex ra-

tione multarum familiarum cognomina, per fœminas præcipuè à regnis in regna fuisse translata comperimus. Verumenimverò, ut omnibus apertum & clarum sit, Trimolliorum familiam jam à quadringentis annis præclaram & illustrem haberi, quandoquidem Principes fœminas illustrissimas eis copulari non fuerint dedignati: nonnulla de Castrorum Nobilitate curiositatis gratia lectori statui explicare. Castrorum familia in Hispania inter quinq; antiquiores, ac nobiliores, ab Hispanicis historicis tertia recẽsetur. De qua re multa videri possunt in tractatu de Nobilitate generis Hispanorum antiquorum, ab Antonio à Barahona Caroli 5. Imperatoris, Regis Castellæ historiographo cõposito. Quinque enim Nobilitatis familias, reliquis nobiliores ac excellẽtiores, in Hispania claruisse narrãt pris-

cæ hiſtoriæ. Quarum prima erat à Lara, è qua Laræ & Manriques: Secunda de Haro, è qua qui de Haro dicuntur, promanarunt: Tertia à Pegnafiel, (eſtque oppidum, quod ampliavit Rodericus Laynes, filius loco tertio natus Layni Calvi, qui Caſtellę provinciæ, poſteaquàm Regis Legionis imperio, cui antè parebat, ſe ſubtraxit, unà cum Nonio Raſura primus Iudex & Gubernator fuit inſtitutus): cui à Caſtro dicti genus & originem ſuam debent. Quarta à Carrion, è qua proſiliêre à Carrion nominati: quorum poſteritas, ob fœditatem cominiſsã contra filias Roderici Dias, Magni Cid, extincta fuit. Quinta & ultima Nobilitatis in Hiſpania familia illa erat à Ciſneros: unde Ciſneri, Bermudes, & Girones, qui quamvis ex quinta & ultima Nobilitate deſcenderint, tamen ab annis quingentis plus minus

Principes sunt habiti & vocati, eorúmque Majores in uxores duxerunt Regũ filias, suásque Regibus matrimonio copularũt. Id curiosi legere possunt, libro de familiæ Gironum antiquitate excuso Compluti anno 1577. Hieronymo Gudielo Authore. Quo libro apparet Dominum Rodericum, qui primus Cisneriorum familiæ Gironum nomen dedit, duxisse in uxorẽ Sanctiam, Infantem Castellæ, Alphonsi 6. Imperatoris Hispaniæ, Castellæ, Legionis & Galleciæ Regis filiam, circiter annum 1102. Pro insignibus suis gerunt Castri nonnulli (quorum per totam Hispaniam, in Portugallia præsertim, multæ sunt familiæ distinctæ) tredecim circulos aureos (quos patria lingua R V E L A S vocamus) in cãpo azureo: Alii novem: Alii, qui sese primos & præcipuos in dicta familia æstimãt, sex. Sebastianus

Alcalà de Henares.

illè regni infœliciſſimi Portugalliæ Rex Invictiſſimus, æquiſſim⁹, ac Chriſtianiſſimus Iacobum à Caſtro de Rio (quæ vox Portugallicè fluvium deſignat) virum mercatorem, divitem, liberalem, multíſque virtutibus ornatum, propter bona fidâq; ſervitia, patriæ & Regi facta, nobilitavit. Eidémque, nobilium numero adſcripto, novem veterum Caſtrorum circulos, (ſive RVELAS) aureos, in campo azureo cum duobus fluviis, ab uno latere ad alterum tranſversè fluentibus, ad aliorum nobilium differentiam, pro inſignibus conceſſit. Ab iſta demùm Caſtrorum familia omnes fere Europæ Principes deſcẽdunt. Quoniam Petrus Iudiciarius Portugalliæ Rex, vivẽte Alphonſo patre, Conſtantia uxore prima demortua, ex qua Fernandum ſucceſſorem ſuſceperat, ſecundis nuptiis, Summi Pontificis

diſpenſatione, Agnetem à Caſtro Petri Fernandes à Caſtro filiam, ſanguine ſibi propinquam, matrimonii vinculo ſibi conjunxit: Ex qua ſuſtulit Alphonſum, qui in cunis obiit, Ioannem & Dionyſium, Infantes Portugalliæ: Et Beatricem, quæ nupſit Sanctio Albuquerquii Comiti, Henrici 2. Regis Caſtellæ fratri. A Ioanne deſcẽdunt Duces Najaræ, qui ducatum Valentiæ poſſident, & plures Principes in Hiſpania. A Beatrice & Sãctio marito nata eſt Leonora, nupta Fernando, Infanti Caſtellæ, Duci Pegnafielẽſi, Ioannis 1. Regis Caſtellæ filio: poſteà Regi Aragoniæ. Fernandus & Leonora procrearunt Alphonſum primogenitum Regem Aragoniæ, Neapolis & Siciliæ, qui filium ſuſcepit ex pellice Fernandum nomine, Calabriæ Ducem, deinde Neapolis & Siciliæ Regem, patrem Leonoræ uxo-

ris Herculis Estẽsis, Ferrariç, Mutinæ & Rhegii Ducis, è quibus Estenses, Guysiæ, Mantuani hodierni, & alii quamplurimi. A supradicto Fernando ortus est Federicus, qui ex Anna Sabaudica suscepit Carlottam, uxorẽ Nicolai Guydonis Lavallii Comitis, è quibus nata est filia nomine Carlotta, è qua Trimollii: Et Ioanna primogenita uxor D. de Rieux, quorum pronepos est Gujdo Comes hodiernus Lavallii ex Guydone, antè paulò dicto, & Anna de Allegre natus anno 1585. Maii quinta. Filium quoque habuit Fernandus nomine Alphonsum regni successorem; qui filiam suã Isabellam nuptum dedit Ioanni Galleacio Sfortiæ Mediolanensium Duci. Hi procrearunt Bonã desponsatam Sygismundo Poloniæ Regi; cui peperit Sygismundum Augustum, Isabellam, Sophiam, Annam, & Catharinam,

desponsatam Gustano, sive Ioanni Regi Sueciæ, qui ex ea suscepit Sygismundum Christianissimum, Sueciæ & Poloniæ Regem hodiernum. Suscepit itaque Fernandus ex Leonora Alphonsum primogenitum, Ioannem secundogenitum: qui ex prima uxore Blanca Regina Navarræ sustulit Leonoram ataviam Regis Christianissimi Henrici 3. Navarræ, & Franciæ 4. A dicta Leonora egressi sunt Valesii, Candalienses, Rhoanenses, & permulti alii Principes intra & extra Galliam. Ille demum Ioannes ex secunda uxore Ioanna, Archithalassi Castellæ filia, genuit Fernandū Regem Aragoniæ & Magnæ Elizabethæ maritum; è quorum gremio nati sunt Reges Castellæ, Portugalliæ, Bohœmiæ, Imperatores, Duces Bavariæ, Lotharingiæ, Sabaudiæ, Parmæ, Mantuæ, Florentiæ, & omnes qui Eu-

ropæ præsunt. Quorum genealogias cùm junctim, tùm separatim Deo auspice, Principibúsque faventibus, typis mãdare speramus.

At siquis mihi objiciat, multos reperiri mercatores per universum Orbem dispersos, & alios infimæ sortis viros, qui hujúsce nominis Castrorum denominatione vocitantur: méque ergo circa Castrorum nobilitatem summopere hallucinari: Id verum esse fateor, Castrósque mercatores, & alios parvi momenti homines, nõ solum Angliam, Germaniam & Italiam: sed etiam Galliam, præsertim civitatem Lugdunensem, posse nonnullos recensere. Sed ut intelligi posset, qua ratione illi tantæ, támque illustris familiæ cognomento fruantur, atque adeo unde hoc provenerit, non erit alienum paucis explicare. Anno 1482. Fernandus & Isabella Castellæ Reges cùm explo-

ratum habuissent, per Iudæos, qui in eorum ditione erant, scelera nefaria contra Religionis nostræ sanctitatem conflari, omnes illos in exilium ejecerunt. Cùm verò alii in alias partes ejecti fuissent, mox eorum pars à Ioanne 2. Rege Portugalliæ sub certis conditionibus impetravit, ut in Portugallia, tempore aliquo definito, consisteret. Conditiones autem potissimæ fuerunt, ut octonos aureos, ad bellum contra Infideles, designatos, singuli Regi persolverent: & intra certum tẽpus à Portugalliæ finibus emigrarent. Quòd si, post tempus illud assignatum, visi in Portugallia fuissent, libertatem amitterent. Accidit quòd Iudæorum magna pars in Portugallia remansit, partim obquasdam rationes, quas citat Damianus à Goyes patria lingua, & Hieronymus Osorius Latina in Emmanuelis Regis Portu-

galliæ elogio, partim quòd inopia impediti minimè potuissent ea, quæ erant ad navigandum necessaria, intra tempus illud emere: Cùm tempus interim illis elaberetur, libertatem amisêre. Qui igitur servum Iudæum habere cupiebat, eum à Rege postulabat. Hæc erat Iudæorum, qui in Portugallia morabantur, miserabilis conditio, cùm Emmanuel regnare cœpit. Qui videns illos non sponte sua cõtra fœdus, post tempus à Ioanne præstitum remãsisse, omnes liberos esse voluit. Quos tandem posteà in fine anni 1496. è regni finibus excedere jussit: diémque præfixit, intra quem omnes, qui in illius regno fuissẽt inventi, ni Christiani fierent, libertatem amitterent. Interim in initio sequẽtis anni instabat dies, quo Iudæi, qui Christiani fieri nollent, erant in exilium ituri. Omnes igitur se ad navigandum

summa ope comparabant, cùm Rex Emmanuel indignissimè ferens, tot hominum millia in sẽpiternum exitium detrudi, ut saltem filiorum salutem prospiceret, rem excogitat, facto quidem iniquam & injustam, animo tamẽ & propósito fine laudabilem. Præcepit enim, ut Iudæorum filii, qui nondum quartum decimum annum ætatis excederent, à parentibus abstracti, & ab illorũ conspectu remoti, in Religionis Christianæ disciplinam traderẽtur. Quod non sine magnis animorum motibus fieri potuit. Itaque cũ in principio fuissent illis tres in Portugallia portus assignati, unde excederent, Rex interdixit ne quisquam ex illis aliũde, quàm ex Vlyssipponẽsi portu solveret. Quo factum est, ut innumerabilis Iudæorum multitudo ad eam civitatem confluueret. Interim verò dies dicta præterfluxit

ita,ut esset illis necesse,qui nondum emigrare potuerant,libertate spoliari. His tandem malis plerique victi Christianam Religionem aut ex animo profiteri, aut saltē callidè simulare maluerunt, quàm vitam in tanta acerbitate traducere. Cùm igitur, fidei christianæ confessione facta,fontibus sacris fuissent abluti, post annos quindecim, postquàm Portugalliam intrarant, & filios & libertatem recuperarunt, multísque à Rege præmiis clementer invitati in Portugalliæ regnis satis commodè vitam exegerunt. Fuítque illis summus honor ab Rege cōcessus, videlicet ut unusquisque familiæ sui spiritualis Patris,quē in baptismo haberet, agnomen sibi suísque descendentibus posset assumere. Vnde factum est,ut Iudæi illi aqua fontis sacri lavati, & ad veram Christi Religionem, extra quam nulla est salus, redu-

cti, non modò possent liberè nobilium, illustrium, ac regiarum familiarum cognomento uti: verùm etiam illud ad posteros suos veluti rem hæreditariam, transferre. Ob hanc rationem reperiũtur mercatores quamplurimi per universum Orbem dispersi, qui, quamvis ex Iudaico sanguine sint orti (quod apud Portugallenses satis ignominiosum, imò detestabile est) regiæ tamen concessionis virtute fulti, se dicunt, atque nominant Castros, Sousas, Pimentellos, Mendoças, Afonsecas, &c. Ea nihilominus lege, ut eorum ullus nec se nobilem dicere queat: neque etiã aliquo privilegio nobilitatis frui, neque Castrorum, aut aliorum nobilium insignibus uti, sive in literis, sive in aulæis, in tapetibus, in sepulturis, & in ædibus, vel in alio quovis loco. Id illis prohibitum est sub maximis pœnis, quas in Por-

tugalliæ regnis, si à regiis officialibus de tali crimine convincantur, exactissimè persolvunt. Insuper Rex, ut hi inter alios Christianos distinguerẽtur, illos Christianos Novos vocari fecit, & singulorum omnium nomina albo adscribi jussit. Mercatores autẽ in partibus nostris Portugalliæ ignobiles reputãtur. Nobiles verò si mercaturã exercuerint, suam nobilitatem perdunt. Possunt tamen convenire cum Rege, eíque certam auri summam annuatim pendere pro contractationibus, ut dicimus: Hoc est, pro cõmercio & navigatione ad Caput Viride, Minam, Insulam Sancti Thomæ, Congum, Angólam, Brasiliam, & ad Indiam Orientalem, cæteráque Portugalliæ Monarchiæ dominationes, ac etiam pro eorum tributis & vectigalibus. Nullus itaque vi contractationis præter eos, qui contractatores

sunt, potest eas partes adire absq; facultate,& ordine contractatorum. Aliter enim non solùm proprias merces, & naves perdet,sed etiam pœnis, damnis, & incommodis multis subjicietur. Verumenimverò Novi isti Christiani tãto odio fuêre Veteribus, quòd post annos novem,infra tres dies, à Dominica scilicet in Albis,quæ fuit 19. Aprilis, anni 1506. usque ad diem Martis sequentẽ, parùm abfuerit, quin oẽs, magno Vlyssippone concitato tumultu,fœdè perirent. Nunc probata primò Castrorum nobilitate, atque ad objectionem de Castris Iudæis mercatoribus responsione facta, ad Imbaldum revertamur. Is sanctum Ludovicũ adversus Henricum 3. Regem Angliæ, (qui Hugonis, Comitis Marchiæ contra Alfonsum dicti S. Ludovici fratrem, Tolosæ Comitem,partibus favebat) bellum gerentem qui-

buſcumque rebus potuit, ſuo periculo juvit. Deinde ab Alide uxore generoſiſſima prole ſuſcepta ipſum S. Ludovicũ, magnum adunantem bellatorum exercitũ, & ingreſſum Infidelium fines, in partibus Syriæ, omniáque igne devaſtantem & ferro, uſque Damyatam in Ægypto, cum tribus filiis ſequutus eſt. Qua capta, à labore milite refecto, Ludovicus ad Maſſaram, quam Pharamiam Chronographi vocãt, exercitum ducit. Quẽ hoſtis, ut poterat, premebat: quocum levibus commiſſis prælíis, Chriſtianis ille ſuperior evaſit. Tandem in inſula, quam Nilus proximè Maſſaram efficit, Ludovicus caſtra depoſuit. Vbi varia fortuna utrimque pugnatũ eſt. Inſuper Ludovicus, fame peſtéque graſſantibus, occiſo primùm Roberto fratre, vulneratus vincitur & comprehẽditur à Sultano Infidelium Imperato-

re, multis quoque nobilibus ac regni proceribus interemptis: Inter quos Imbaldus vir strenuus atq; bellicosus, appriméq; Christianus cum tribus filiis occiditur, anno 1249. sub mẽsem Nov. ut referunt Annal. Aquit. in vita ejusdem S. Ludovici.

De Imberto Trimollio, ordine secundo in Arbore.

IMBERTVS Imbaldi Trimollii, & Domnę Alidis à Castro filius primogenitus, in bello cum patre occisus, antequàm in Syriam proficisceretur, uxorem duxerat Ioãnam Cabilonẽsem, ex Comitum Burgundiæ sanguine oriundam, ab eáque susceperat Iacobum, de quo in sequenti pagina à nobis nonnulla breviter dicenda sunt.

De Iacobo Trimollio, ordine tertio in Arbore.

IACOBVS Imberti Trimollii & Ioannæ Cabilonensis filius & hæres conjugem sibi conjunxit Petronillam à Coucy, fœminam nobilissimam, quę genuit Guidonem & Gulielmum. Quis utriusq; fuerit primogenitus percipere non potui à scriptoribus. Aliquando enim nominãt primò Gulielmum, aliquando Guydonem: sed Gulielmũ sæpiùs. Quapropter eum fuisse primogenitũ arbitror: ejúsque prolem per cædem Domini Montarelli filii defeciſſe certis cõjecturis & authoritatibus adducor. Hæc tandem de eo referũt Burgundicæ historiæ. *Quare cùm Dux Ioanna* (Brabantiæ) *timore Anglorũ ab eo*, (Philippo Audace Duce Burgundiæ) *Regéque* (Carolo 6. Franciæ) *auxi-*

lium petiisset, suum esse bellum Audax judicans, ei Gulielmum Trimollium sexcẽtis Burgundis equitibus præfectũ mittit, maiora promittens auxilia sub annũ 1387. Alibi: *Trimollius è Gangelo, Milla, ac Vuhto Geldros quotidianis incursionibus vexans, postridie Idus Novembris Stralam oppidum occupat, diripit, ac incendit, magnámque prædam ad præsidialia castella, derelicto Strala abducit.* Alibi: *Anno* 1388. *Mense Octobri Rex* (Carolus 6.) *eâdem qua venerat via cum exercitu in Franciam revertitur, ac cum eo Trimollius magna ditatus præda, Septimo cal. Iulii anno* 1389. Alibi: *Vere cum Intrepido* (Ioanne filio primogenito Audacis) *è prima Frãcorum nobilitate Philippus Artesius, Eusii Comes, Magister equitum* (Comestabilis) *Ioannes Comes Marchiæ* (Vindocini Comes primus) *Henricus ac Philippus Barrẽsis: Cuchiacus: Guydo ac Gulielmus Trimollius: Ioãnes Viennensis, maris præfectus* (Architha-

lassus) : *Buciquautus castrorum præfectus: Comes Fani Divi Pauli, Roiæ, &c.* Hîc Author Archithalasso, ac militum præfecto Comitibus, & multis aliis Dominis Trimollios anteponit. Alibi: *Anno* 1396. *à parte Francorũ cecidit Ioannes Viennensis, Gulielmus Trimollius cum filio, Montarelli Domino, Gulielmus Eusius, &c.* In Gallicis quoq; Annalibus de eodẽ Gulielmo multa reperiũtur: de quibus tria tantùm citabimus exẽpla brevitatis causa. *Anno* 1388. *Carolum* 6. (in gratiam Ioannæ Brabantiæ Ducissæ, pro oppido Grava, atque castellis Milla, Vuhto, & Gangello) *potentissimum exercitum comparantem contra Gulielmum Iuliacensium Ducem* (ratione uxoris Mariæ Reynoldi, & Eduardi sororis Geldrensium etiam Ducem) *qui ipsum Carolum ad singulare certamẽ apud Tornacum provocaverat, sequuntur, ejus frater Dux Aureliæ, & Philippus patruus,*

Dux Burgũdiæ, in cujus comitatu erãt quatuor millia equitum, qui sub imperio Gulielmi Trimollii nobilis Burgundi conducebantur. Alibi: *Rex Carolus 6. è Flandrica expeditione reversus anno 1389. Isabellã Bavarã uxorẽ splendidiori põpa & apparatu, quàm vnquam Regina fuerat ingressa, Parisiis recipi voluit. Comitantibus patruo suo Burgundiæ, & avunculo Borbonii Ducibus: Ioãne Borbonio Comite Vindocini, Dominis Gulielmo & Guydone à Trimollia fratribus, qui in conventu omniũ præstantissimè gesserunt.* Alibi: *Anno 1396. Ioanni Audacis Burgundionis filio cum nobilissimis ac potentissimis Galliæ viris per Germaniã profecto, Sygismundo Regi Hungariæ contra Turcas exercitum laturo comites erant, Ioãnes Comes Marchiæ & Vindocini: Philippus ab Artesia Comes Eusii, Franciæ Comestabilis: Guydo & Gulielmus Dominus Trimolliæ.* In Aquitanicis etiam Annalibus hæc quoque reperimus:

Anno 1377. Richardus Guyĕnæ Dux Eduardo 3. avo ſuo in regno Angliæ ſucceſsit. Rex Carolus 5. eo tempore adverſus Anglos exercitus quinque potentiſsimos habebat: quorum tertio ad Picardiæ cuſtodiam deſtinato imperabat Philippus Dux Burgundiæ, Iacobo Borbonio, Ludovici 2. Ducis Borbonii filio, poſtea Frăciæ magno Cubiculario, ac aliis Principibus, multíſque nobilibus comitatus, & quodam equite, quem valdè diligebat Gulielmum Trimollium dictum, qui deſcendebat ab Imbaldo illo Trimollio, in comitatu Regis noſtri Ludovici Sancti, ab Infidelibus ad Maſſaram occiſo. Ex ſupradictis clarè, latéque patet, Trimollios olim nõ ſolùm viros nobiliſſimos ac ſtrenuos, ſed etiã Gulielmum maximi momenti hominẽ fuiſſe, ducem fortem, ac bellicoſum, atque in ſua quoque familia præſtantiſſimum. Hujúſce Gulielmi fratrem, patríſque Iacobi filium etiam fuiſſe credimus, Petrũ Trimolli

mollium: de cóq; Parisiis, in Ecclesia nostra Sancti Iacobi Ordinis Prędicatorum, intra sacellum Nostræ Dominæ à Gratia, in epitaphio sepulturæ Guydonis Trimollii inscripto mẽtio fit his verbis: *Hic jacet Guydo Trimollius, armiger, qui obiit Parisiis, anno* 1390. *Et fecit fieri hanc tumbam nobilis homo Petrus Trimollius, Cubicularius Domini Burgũdiæ, patruus dicti Guydonis, anno* 1398. *Precare Deum pro anima ejus*. Guydonem hunc filiũ fuisse Gulielmi prædicti, Guydonis & Petri fratris certis cõjecturis existimamus. Dictio illa Cubicularius, vulgari idiomate Gallico *Chambelland* significat: homines enim qui illam dignitatem in regia domo exercebant, ante annos nonaginta, *Chambellans* dicebantur. A tempore autem Francisci I. Regis nostri, *Gentilshommes de la Chãbre*, quod est, nobiles homines cameræ, appellari cœpêre.

Quæ dignitas noſtro quoq; ævo maximũ decus, ſummámque ac mirificam apud Principes gratiã, atque generis nobilitatẽ in viris arguit. Vnde infertur. Trimolliorum familiam in magno pretio & nõ vulgari cõmendatione quondam à Principibus haberi. Inſuper in oppidis, caſtellis ac etiam in tractibus ſuæ ditionis ab antiquo tempore jus habent ad Archithalaſſi dignitatem, & Archithalaſſi quoq; nominãtur. Id autem per arreſtum Parlamenti Pariſienſis, (veluti intellexi à nonnullis ejuſdem Parlamenti Senatoribus) in ſuum favorem obtinuerunt, anno 1522.. Veriſimile enim eſt tantum Principem Ducem Burgũdiæ, videlicet Philippum Audacem (cui quamvis Rex nõ eſſet, nihil tamen ad regnum, niſi ſolum nomen deerat, quòd ditione Reges æquaret) Cubicularium ex vulgari nobilitate ſibi

nõ electurũ, imò ex præstantiori, excellentioríque sui dominii virorum prosapia. Cæterùm quando Iacobus è vita trãsmigraverit, quæ etiam præclarè gesserit, sigillatim non narrant historici, quos vidimus. Solùm, Philippum Valesium & Ioannẽ filium, Franciæ Reges, se contra Flandros & Anglos, qui per id tempus maxima in Galliis bella excitarunt, fidelissimè juvisse affirmant.

De Guydone Trimollio, ordine quarto in Arbore.

GVYDO Trimollius Iacobi Trimollii & Petronillæ à Coucy filius & hæres, Ioannis Biturigum, ac Philippi Burgundiæ Ducum favore in uxorem duxit Mariam de Sully, Ludovici de Sully filiam: quæ quidem sponsata fuerat, sed non nupta Ioanni,

Comiti Montpenſerii, alterius Ioannis Biturigum Ducis filio, Regis Franciæ Ioannis nepoti. Erat Maria illo ævo fœmina dives, & opulenta, habebátque reditus annuales pretii quadragintorum millium librarum. Pater ejus Ludovicus, qui materno latere à Ducibus Athenarum deſcendebat, avunculum habuit D. Gualterum, maritum Ioannæ à Mello, ſororis Rudolphi Euſii Comitis, ac regni Franciæ Comeſtabilis; qui parentes habuerunt Rudolphum Euſii etiam Comitem & Mariam à Mello. Rudolphus is filius erat Ioannis, nepos Ioannis alterius, Euſii Comitum, pronepos Alphonſi è ſanguine Regum Hieroſolymæ, ac Conſtantinopolis Imperatorum orti, qui Alphonſus obiit ultra mare in Sancti Ludovici comitatu, ejúſque corpus dicti Ludovici opera & juſſu in Franciam de-

latum ſepelitur in Divi Dionyſii Fano. Illa verò Domina à Mello (quam *de Merlo* corruptè dicunt Galli nonnulli) orta erat à nobiliſsima illa familia de Mello: cui ſimiles in Portugallia habemus multas & antiquiſsimas inter ſe diſtinctas, valdéque propagatas. Ab eáque deſcẽdunt ſummi Præfecti Sylvarum & Aquarum Portugalliæ, & magni illius regni Oſtiarii, qui ex aſſe illius dignitatis, non contemnendæ, hæredes ſunt: Frãciſ. à Mello de Sampayo, quinq; oppidorũ multorúmq; pagorum Dñs. ac etiã nobiles quãplurimi: Marchiones itẽ de Ferreyra, Comites de Tentugal, & Domini de Eſtremadura. Quippe qui etſi genus ſuum ducũt per lineam maſculinã ac legitimam à regali illa Bragantiæ familia, nihilominus tamen à Mello vocitãtur. Dominus námq; Domnus Alvarus à Bragantia Fernandi 1.

Ducis Bragantiæ filius, hodierni Marchionis proavus, cõjugii nexu ſibi copulavit Dominã à Mello opulentiſſimæ ditionis hæredem. Eáque de cauſa, veluti Roberti poſteri, Principes Sanguinis in Francia, Borbonii; ita Bragantini ab Alvaro oriũdi in Portugallia à Mello dicti ſunt. Mellum vetuſta eſt urbs Portugalliæ in Provincia Ciſtagana ad Stellæ Montis pedẽ, ad plagam Septentrionalem ædificata. Gualterus prædictus, qui Franciæ fuit Comeſtabilis, genuit ex cõjuge Ioãna à Mello filiam unicam, Ioannam: quæ anno 1388. Guydonem Trimollium, Marię neptis ſuę ex conſobrino Ludovico maritum, Sancti Herminii baronia donavit. Suſcepit itaq; Guydo ex Maria uxore Ioannem primogenitũ, (quem Ioãnes Neſtor in ſuo Bononiæ compẽdio, in eo ſeductus, Georgiũ appellat, qui anno 1416.

matrimonio sibi conjunxit Ioannam Bononiæ, Arverniæ, ac Comingii Comitissam, Ioanne Comite etiam Bononiæ, & Arvernię ac Leonoræ à Cominges prognatam, Ioannis à Francia Biturigũ Ducis viduam, quam duxerat uxorem puellam nondum duodecimum annum attingentem. Ioannes hic Trimollius, Dominus de Ionvella dictus, in Burgũdiam, veterem Trimolliorum patriam, per annos aliquot se recepit: ibíque apud Ioannem Intrepidum gratia & authoritate tanta valuit, quòd ab eo, & à Regina Frãciæ Elizabetha Caroli 6. uxore mitti meruerit ad Concilium de pace & concordia inter Gallos Principes habendum, ac tractandum cum Cardinalibus duobus, missis à Martino Papa (qui tantis Gallorum malis mederi, atque etiam florentissimas regni vires contra Turcã verti desi-

rabat) unà cum Archiepiſ. Rhemenſi à Rege miſſo, plurimíſque regni proceribus. Quorum arbitrio Rex, Regina, Delphinus, Intrepidus, Aureliani Principes ad decernendam rem omnẽ tradiderant, ſeſéque accepturos pacis cõditiones, quas eſſent præſcripturi, promiſerant. Comes tandẽ Armigniacus natura ferox ac truculentus, cõceptæ pacis ordinem perturbavit. Tantum hac de cauſa odium ſibi per Franciam concitavit, quòd poſt paucos dies, ut Pontificiæ pacis perturbator, à furente plebe cum quatuor ſuæ factionis captivorum millibus à cæde evadere non potuerit. Interfecto ergo Intrepido à Philippo Probo filio in eadem gratia & authoritate Trimollius recipitur: ab eóque Aurei Velleris Eques creatur. Morte tandem prævenius moritur, ex conjuge Ioanna nulla ſobole relicta. Procreavit

etiã Guydo ex Maria uxore Georgium, fratris Ioannis successorem, &, ut nonnulli opinantur, Guydonem sepultum Parisiis in Ecclesia S. Iacobi Ord. Prædicatorum : eúmque filium fuisse Gulielmi putamus, ut ante dictũ est. Fuit autem Guydo vir prudẽs, fortis, bellicosus & in arte militari peritissimus, ob quas dotes multa contra patriæ hostes & invasores præstare potuit Regibus suis, nimirùm Carolo quinto, & Carolo 6. filio. Qui ob ejus animi fortitudinem, & in debellandis hostibus audaciã, cùm adversus Anglos, Picardiam, vicináſq; provincias devastantes duceret exercitum, illi in Divi Dionysii Æde per Fani Antistitem Flammulã sacram tradidit anno 1383. Tãtus honor erat Flammulam eo tempore in bellis ferre, quòd Reginaldus Dandrehan, Deuchan cognominatus, qui fuit Mares-

callus Franciæ regnãtibus Philippo Valesio, Ioanne filio & Carolo nepote, anno 1368. tantam dignitatem demiserit, ut Flammulam ab ipso Carolo sibi oblatam ad ferendum susciperet. De hac flãmula in fine libri hujus latiùs dicetur, in particulari ejusdem Flammulæ tractatu. Quam animosè Trimollius tulit, strenuè defendit, ac magna fiducia domũ reportavit. Anno 1384. Ludovicum hujus nominis 2. Borbonii Ducem in Africam contra Infideles exercitum ducentem pro fidei Christianæ defensione audacter sequitur. Eo indè reverso ipsomet & eodem anno, Eques quidam Anglus, Petrus de Courtenay dictus, qui genus ducebat ab illis primis Dominis de Courtenay, in Galliam venit, curiámque ingressus à Rege petiit, Trimollium eundem, quem ad singulare certamen provocarat, se-

cum decertare permitteret. Re consilio mandata, nullâque causa ad duellum concedendum inventa, displicent rogata Regi, eáque negat. Quod tamen Guydo ægrè ferens, Regem precatur pro singularis certaminis cõcessione, eidémque neganti causas multas ob oculos proponit, hánc q; præcipuam, & sufficientem esse acclamat: se, scilicet ad singulare certamen proclamatũ, verè Francum esse: proclamãtem verò Anglum. Annuit Rex Guydonis votis. Signatur dies, & ordinatur locus Parisiis in D. Martini Cãpẽsis clausstro. Sed Rex interim, quod concesserat, denegat, Anglúmque dimittit. Fuit igitur Guydo vir liberalis, nulli ambitioni deditus, sæpéque honores sibi oblatos renuit: Franciæ Comestabilis dignitatem; ob Oliverii Clissonii, Franciæ Comestabilis à curia recẽssum per Decretum Parlamen-

ti fiſco publicatam à Rege oblatam cum maxima humilitate accipere recuſavit. Anno verò 1397 expeditione contra Turcas deliberata, Intrepidum Burgundum ſequutus, in Hungariáque à Turcis vulneratus ab ipſis capitur, occiſo fratre Gulielmo, cum filio Domino Montarelli: atque ab eorum tyrannide, Ioannis Intrepidi (qui Magni Turcæ facultate, ob eam rem in Galliam reverſus fuerat) opera redẽptus, extremũ vitæ actum egit Rhodi, ibíque ejus corpus ſepulturæ mandatur. Nonnulli affirmant Guydonem ſecum habuiſſe comitem filium nomine Guydonem, qui, ut illi aiunt, primogenitus erat, quíque in eadem pugna nulla relicta ſobole fuit occiſus.

De Georgio Trimollio, ordine quinto in Arbore.

GEORGIVS Trimollius Guydonis Trimollii & Mariæ de Sully filius secundogenitus, magnus Franciæ Cubicularius, fratris Ioannis, Comitis Bononiæ demortui sine prole, hæreditatẽ adiens, fit utriúsque parentis unicus hæres: Regis Caroli septimi consilio, jussúque uxorem sibi cõjunxit Catharinã de Lisla Dominã de Isla-Buchard, & de Rochefort, aliarúmque possessionum, viduam relictã à Domino de Giac, regiorum nummorum præfecto, quo munere Georgius uxore ducta functus fuit. In ejúsque locum ob Procerum invidiam, eo innocenter deposito, Carolus Andegavensis Cænomanorum Comes, Ludovici 2. Andium Comitis filius tertio loco natus, Regis sororius, suffectus est. Peperit Catharina Ludovicum successorem: & Georgium, de quo

ac ejus ſerie hîc inferiùs nobis dicendum eſt. Fuit Georgius vir ex omni parte Reipublicæ Gallicanæ admodum utilis, natura fortis & liberalis, & propter has dotes, quùm apud Carolum 7. qui ejus conſilio omnia gerebat, plus cęteris aulicis poſſet, injuſtiſſimam ac deteſtandam invidiam in ſe multorum excitavit. De qua re atque aliis ab eo actis multa apud Authores citata inveniet lector. E corporis tamẽ ergaſtulo liberatur non ſine magno plurimorum cordis dolore & anxietate. Nunc reſtat dicendum de Georgio Trimollio Georgii ſupradicti filio ſecundogenito, qui paſſim Dominus de Craon, quòd oppidum illud in hæreditatis paternæ diviſione ei obvenerit, ab omnibus cognominabatur. Hic multùm profuit Regi ſuo Ludovico XI. cùm in repellendis Anglis, tum in acquirendo ducátu Burgun-

diæ: cujus ab ipso Ludovico gubernationē obtinuit. Anno 1469. mensis Augusti die prima, Ordinem Sancti Michaëlis, in quo erant Equites numero triginta sex, ex præcipua nobilitate assumpti, idem Ludovicus Amboæsæ instituit, Georgiúmque Trimollium, de quo hîc agimus, ob ejus prudentiam, urbanitatem, morúmque temperantiam, atque magnitudinem, & in re militari peritiam, primum Equitem dicti Ordinis nominari voluit. Anno verò 1502. creatus fuit à Ludovico 12. magnus Franciæ Oeconomus, in civitate Genua, Ligurum capite, si credamus Ioanni le Feron, qui in suo catalogo de Magnis Frãciæ Oeconomis hæc nobis narrat, fo. 27. pag. 2. tit. 1. Obiit Georgius apud Burgundos, filia nomine Ludovica relicta, nupta Bertrãdo à Turre hujus nominis V. Comiti Bononię & Arverniæ,

filio alterius Bertrandi ex parte aviæ paternę atavi Henrici à Turre, hodierni Franciæ Mareſcalli: qui mortua Duciſſa Buillonæa uxore prima, Elizabetham Gulielmi de Naſſavu, Principis Aurantiæ, & Carolinæ Borbonicæ filiam ſuperduxit. A Ludovica & Bertrando hi liberi fuerunt procreati. Ioannes à Turre Comes Arverniæ, & Lauraguets, Dominus Donzenac, & Bouſſac filius unicus, natus anno 1467. & mortuus anno 1501. qui uxorem ſibi conjunxit Ioannam Borbonicam Ioannis 2. Comitis Vindocini filiam: ex qua nata eſt Anna à Turre, Ioannis Stuardi, Ducis Albaniæ conjux, quæ erat ſecundogenita, & Magdalena à Turre filia primogenita, Comitiſſa Arverniæ, & Lauraguets, mortua Ioanna ſorore ſine hæredibus. Nupſit Magdalena Laurentio Medices Vrbini Duci, & Florentiæ Do-

mino & gubernatori, filio Petri, & nepoti alterius Laurentii, qui pater fuit Lucretiæ Illustrissimi ac Reverẽdissimi Domini D. Alexandri Medices Cardinalis de Florentia, Domini Papæ & Sanctæ Sedis in Gallia à Latere Legati. Genuit Magdalena ex Laurentio marito Catharinam Reginam Franciæ matrimonio copulatam Henrico 2. qui liberos habuerunt Franciscum Regem, Ludovicum Ducem Aureliæ, Carolum Maximilianũ Regem, Alexãdrum Eduardum Ducem Aureliæ postea Henricum dictũ Regem Franciæ & Poloniæ, Herculem Andium Ducẽ, Frãciscum postmodum nominatũ, qui omnes sine hæredibus ab hac vita migrarunt; Elizabetham Reginã Castellæ, Claudiã Duciſſam Lotharingiæ, Margaretam Reginã, & filias duas gemellas, quę infantes obierunt. Anna filia primoge-

nita in primis nuptiis nupta Alexandro Stuardo Albaniæ Duci, Iacobi 3. Regis Scotiæ fratri secundogenito, quo mortuo, Ioanne filio unico relicto, nupsit secũdò Ludovico *de la Chambre*. Ioannes Stuardus in uxorẽ duxit Annam consobrinam Ioannis à Turre avunculi filiã: quæ genuit Leonorã, quam sibi conjugavit Ioannes *de l'Ospital*, è quibus natus est Iacob⁹ *de l'Ospital* Comes *de Choisy, &c.* Ioãna à Turre secundogenita conjuncta fuit Esmardo *de Poitiers*, Domino Sancti Valerii Fani, cui peperit Ioannem maritum Ioannæ *de Barthenay*, *dicte de Bousache*, è quibus prodierunt Gulielmus *de Poitiers*, & Diana, Domina *de Valentinoes*, Caroli Ducis Albefei ex parte matris suæ avia: Altera Ioannis filia uxor fuit Ducis Buillonæi. Franciſca tertiogenita matrimonio copulatur Gilberto *de Chabanes* Domino *de Cur-*

ton, qui filiũ habuit Ioannem patrem alterius Ioannis: unde Curtones præsentes. Magdalena (sive Ludovica) quarta & ultima filia Bertrandi à Turre & Ludovicæ Trimollianę, uxor fuit Baronis *de Conches* in Burgundia.

De Ludovico I. *Trimollio, ordine sexto in Arbore.*

LVDOVICVS Trimollius, Georgii Trimollii & Catharinæ Lislensis filius primogenitus, atque utriusque parentis successor, uxorem sibi copulavit Margaretam filiã Ludovici ab Amboesa, ejusdem loci Domini, Mont-richardi, Blerææ, Vicecomitis Thuartii, quæ plurimos genuit liberos, in quibus Ludovicus primogenitus, Iacobus, Ioãnes & Georgius numerantur. Ludovicus bonorum paternorũ fuit hæres: Ioã-

nes Episcopus Pictavienſis, Ar-
Aux. chiepiſcopus Auſcienſis, ac Sãctę Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, obiítque Mediolani anno 1507. de quo in fine hujus elogii Epitaphium ex Gallico in Latinum trãſlatum inſertum erit. Iacobus & Georgius ad Burgundiam, veterem Trimolliorum patriam deflectentes, ibi ſuas ſedes locarunt, liberóſque procrearũt: qui à Maiorum ſuorum viis haud divertêre. Fuit Ludovicus animi dotibus præſtantiſſimus, nihílque magis ſibi in votis commendatum habuit, quàm Regis ſui obſequium, & patriæ tranquillitatem: pro his quoque non modò ſuas opes, quibus ſat erat locupletatus, verùm etiã vitam propriam omni eventui ſæpenumerò expoſuit. E' vivis exceſſit Ludovico filio apud Regem Ludovicum XI. in maximo honore relicto.

EPITAPHIVM

Ioannis Trimollii Pictavienſis Epiſcopi, Archiepiſcopi Auſcienſis, & Romani Cardinalis: cujus cor ſepelitur in Eccleſia Fratrũ Minorum civitatis Mediolani, ejúſque corpus in caſtro Thuartii in Deiparæ Virginis templo, Maiorum ſuorum ſepulchro.

Auſconum Præſul, ſacro qui cardine fulget,
Pictavûm Antiſtes, hac requieſcit humo.
Ipſe pedo dignus, quo nuſquam ſanctior alter,
Nec fuit ille tamen nobilitate minor.
Mendicos aluit, dives, caſtúſque ſacerdos,
Iuſtitiæ cultor, conſcia culpa procul.
Italiam fato quærens, Sanctúmque Parentem,
Aetatis florem mors inopina rapit.
Ioannes Trimolius ſuperas conceſſit ad auras,
Illic quô nomen Lana dedit Media.
Quingentos ſeptem ſol tunc compleverat annos,
Milléque, quo Chriſtus natus in Orbe fuit.

De Ludovico 2. Trimollio, ordine ſeptimo in Arbore.

LVDOVICVS Trimollius Ludovici 1. Trimollii, & Mariæ Ambœnſis filius & ſucceſſor, in regia Ludovici XI. aula nutritus, uxorem duxit Gabrielam

Borbonicam, Ludovici Borbonii, Montpẽſerii Comitis, & Gabrielæ à Turre filiam. Ex qua ſuſtulit filium unicũ Carolum nominatũ. In ſecundis nuptiis Duxit Ludovicus Ludovicam, Cæſaris *Borgiæ* Alexãdro 6. Papa geniti, Ducis de *Valentinois*, & Carlottæ Albrethenſis, ~~Ioannis~~ Albrethenſis, (~~ut eſt apud Britannicam hiſtoriam~~) ~~qui Rex fuit Navarræ, Regis Chriſtianiſſimi proavi ſororis~~, filiam, ex qua nullam ſobolem procreavit. Excelluit is Ludovicus inter alios ſui temporis, fuítque ille non virtutis tantùm militaris & imperatoriæ gloriæ laude præcellẽs; ſed laudibus etiam religionis, conſilii, magnanimitatis, liberalitatis & clementiæ pręſtantiſſimus, atque in Deũ pientiſſimus: magnam enim partem eorum, quæ ex reditibus colligebat, vel arte & induſtria acquirebat, monaſteriis & religioſis

× *Alani*

matre Franciſca de Britannia, Arcuſſium 7. comitum filia, et hærede nata, ac Ioannis Albret. Navarræ Regis ſorore;

viris donabat. Dum in castris pro Rege & patria contra hostes bellū gerebat, devotissima ejus uxor Gabriela domi nō solùm summa diligentia & pietate, & religionis zelo familiam in Dei obsequio alebat, sed etiam foris templa, & loca pia suis sumptibus ædificabat. Rebus ab eo præclarè gestis plenæ sunt recentiores Franciæ historiæ: illa præsertim Andreæ Teveti de Viris illustribus. Ad Papiam ergo, percelebrem ad Ticini ripam urbem, quam Franciscus Rex obsederat, 24. Februarii fatali ac infœlici prælio, dicto Rege ab hostibus capto, dum fortiter pugnaret occiditur anno 1524. Sepelitur Thuartii in Deiparæ Virginis Marię tēplo. Quod ipse unà cū Gabriela uxore sumptibus summis exædificavit. Vt facilè quivis cognoscere posset hujus invictissimi viri gesta, ejúsq; vitæ discursum, nōnulla carmina

Latinè jam à multis annis compoſita hîc addere ſtatuimus.

Epicœdium domini Ludovici Trimollii Equitis aurati, Vicecomitis Thuartienſis & Principis invictiſſimi, à Nicolao Parvo Belloſanẽſi editum.

Car. Alcai. Iamb. Pind.

Videtis omnes quàm rapida manu
Infeſta mortis ſpicula turbidæ
Vibrantur: vt Parcæ nocentes
Accelerant tenuare penſum.
Annos benigni ſex Iouis integros
Nondum peregit: reſtat olympias,
Et me ſorores hoc ſepulchro
Lanificas poſuiſſe cuncti
Videtis: hoc ſi diuitiæ malum
Auerterent, ſi Martis opus feri,
Credatis: æternus fuiſſem.
Præditus hiſce quidem duobus
Me nemo vicit munificentia
Cruenta: Martis bella ferocius
Confecit & nemo: putaſſent
Hectora: magnanimúmve Achillem.
Pugnare cepi, flaua mihi genas
Cùm prima lanugo tegeret. leuem
Contra Britannum me vocauit
Vndecimus Lodoicus hoſtem.
Alpina Regem per iuga Carolum
Lubens ſequutus Marte Neapolim
Horrente concuſſi: triumphans
Fornovium rediij per agrum.

Sparſi

Sparſi Britanno iugera ſanguine
Albina: factus ſum validis eques
Auratus armis: hunc honorem
Officio meritus fideli.
Montes pruinis triſtibus invios
Scandens atroci Sfortiadem manu
Cepi: nec Inſubres inultos
Enſe furens minitante liqui.
Mihi remiſerunt Veneti leues:
Octauus enſem Carolus aureum
Fornovienſi quem dedit impetu
Pontificémque ſimul retentum.
Burgundionum præſes atrocibus
Bellis minaces Helvetios procul
Blando remiſi deprecatu.
Arma preces inimica frangunt.
Anglos Picarda truſimus à plaga:
Navarra noſtri eſt conſcia roboris.
Agris Iberos Brixianis
Vicimus Heſperiámque gentem.
Exin Suevos contudimus truces:
Franciſcus hoſtem dum redigit malum
Invictus in Francæ tenorem
Iuſtitiæ, rigidáſque leges,
Nobis ſupremus militiæ modus
Contra ſuperbos imperii duces
Fortes & Hiſpanos: ubi tum
Vulneribus cecidit cruentis
Multíque mecum: diſplicet: O dolor!
Non noſtra: ſed quam cætera pertulit
Conciſa mortem multitudo
Inſidiis periens iniquis.
Si quis maligni ſpicula funeris
Vitare poſſet: mortis & impiam
Iram: fuiſſemus perennes.

Discite qui tumulum videtis,
Mortalis huius meta quidem breuis
Vitæ: nec vllis est reparabilis.
Sed fama factis proferenda est.
Consulit hoc generosa virtus.
Hic tu doceris qui fuerim: nec es
Fortasse maior: dum superes: via
Incede virtutis: fugit te
Quum veniet trucis hora fati.

Aliud elegum ejusdem.

Hic situs est princeps magni Lodoicus honoris
Ille Trimolliacæ publica fama domus.
Insignis bello, & sæuis Mars alter in armis:
Optatæque simul pacis amicus erat.
Quatuor est longa Reges ætate secutus:
Militia fortis: consilióque valens.
Vndecimus iuuenem Lodoicus cepit: & illo
Liquit honoratum Rege vocante patrem.
Infidi proceres huc invasere: sed unus
Promissam didicit non violare fidem.
Dum parvus gelidas superaret Carolus Alpes
Octavus regnum Parthenopes adiens:
Castra sequebatur longinqua Trimollius. ipsum
Itala gens tremuit: Parthenopéque ducem.
Indomitum ferro elades Fornovia sensit:
Hoc fuit auratus tempore factus eques.
Contudit infestos violentis Britonas armis:
Cœpit eum qui Rex deinde futurus erat.
Attamen is regno cùm successisset, iniquæ
Fortunæ adscribens quæ modò passus erat:
Præposuit cunctis Lodoici dulce Trimollii
Obsequium. accrevit gloria, fama, decus.
Illius auspiciis est Regi Insubria nostro

Reddita: captivus Sfortia iure fuit.
Acciſæ Venetum gazæ: pacata Britanni
Audacis rabies, Helvetiúſque furor.
Poſtremò ſenior multis confectus & annis
Gallica Franciſco regna tenente fuit.
Attamen Helvetios contra pugnavit: & eius
Auxilio victor Rex meliore fuit.
Induperatorem contra fuit vltimus ardor
Hic vbi floricomus ſtat Patavinus ager.
Ancipiti bello cum ſe defendit, honeſtam
Oppetiit mortem vulnera plura ferens.
Occubuit, nunquam minima vel labe notatus:
Defenſor populi, religionis apex.
Vnde ſupernatum fœlix in pace quieſcit
Spiritus: exanimum terra cadaver habet.

De Carolo Trimollio, ordine octavo in Arbore.

CAROLVS Trimollius Princeps Talmũdi, Ludovici 2. Trimollii & Gabrielæ Borbonicæ filius unicus, à parentibus matrimonii vinculo copulatur Ludovicę filiæ Caroli à Coitivy, Comitis de *Taillebourg*, & de *Craon*, & Ioannæ Aurelianæ, Ioanne Comite Ingoliſmæ prognatæ: qui

Ioannes filius erat ſecundogenitus Ludovici primi Ducis Aureliæ, Caroli V. & Ioãnæ Borbonicæ filii natu ſecũdi. Suſcepit Carolus ex conjuge Ludovica liberos nonnullos, quorum ſuperſtes manſit Franciſcus, qui matri & avo ſucceſſit. Anno 1515. maximo & fortiſſimo Helvetiorum exercitu cæſo, fugatóque incredibili fortitudine & gloria, Rege ſuo Franciſco præſente, contra hoſtes indefeſſè dimicans Carolus (quẽ fata præmaturè Trimolliis inviderunt) ſexaginta duobus vulneribus ſaucius, in quibus quinque lethalia inventa ſunt, occubuit anno dicto, Septembris 14. Ætatis ſuæ XXII. ſepelitur cum patribus ſuis. Ejus verò mater Gabriela, ob filii cædis mœrorem & triſtitiam, ſpiritu leniter deficiente abiit è vivis ultima Novembris, anno 1516. Corpus ejus ſepulturæ mandatum eſt in

templo Deiparæ Virginis in castello Thuartiensi, juxta Ludovicum maritum.

De Franciſco Trimollio, ordine nono in Arbore.

FRANCISCVS Trimollius Caroli Trimollii & Ludovicæ à Coitivy filius unicus, captus in pugna Ticinensi cum Regibus, Franciſco Franciæ, & Henrico Navarræ: Vxorem duxit Annam Lavallẽſem, filiam Nicolai Guydonis Lavalli Comitis, & Carlottæ Calabrienſis vel Aragonenſis filiæ Federici, qui poſt Fernãdum, filium Alphonſi fratris, Regem Neapolis & Siciliæ, regnavit in ipſis regnis. Duxerat Federicus is Annam Sabaudicam Amadei 8. Ducis Sabaudiæ, & Yolandæ Carolo 7. Franciæ Rege natæ filiam. Pater verò Amadei

fuit Ludovicus, Sabaudiæ Dux, & mater Anna Lusignana filia Gen, sive Guene, vel Iani Regis Cypri, & Carlottæ Borbonicæ, Iacobo Comite Marchiæ procreatæ. Hæc obiter diximus, ut regiam Lavallensis familiæ cognationem paucis ostenderemus. Procreavit Franciscus ex Anna uxore Ludovicum successorem: Franciscum; Carolum; Georgiũ; Claudiũ: Ludovicam, Iacobam: & filium posthumum, juvenem sine prole demortuum. Franciscus Benoni Comes dictus uxorẽ duxit Franciscam de Bouchet, Asparaut Dominam, ex qua nulla relicta sobole è vita migravit. Carolus Dominus de Mauleon Romanus fuit Protonotarius, & uxore non ducta obiit. Georgius Dominus de Royan Pictaviensis Seneschallus, hoc est, illius provinciæ præfectus, uxorem sibi conjunxit Magdalenam filiã Frã-

cisci Lutzemburgii, Vicecomitis de Martigues, & Carlottæ Britannicæ: fratrem habuit Magdalena Sebastianum, Mariæ de Beaucaire maritum: è quibus nata est Maria Lutzemburgica Ponthievre hæres, uxor Philippi Emmanuelis à Lotharingia Mercurii Ducis. Peperit Magdalena Georgio marito Gilbertum Trimollium, cui nupsit Catharina filia Philippi Hurault, Frãciæ magni Cancellarii meritissimi, & ejus uxoris Annæ de Thou, quæ patrẽ habuit Christophorum de Thou in summo Parisiorum Senatu Protopræsidem, dum viveret: fratres verò Ioannem, Christophorum, & Iacobum Augustum, Dominum d'Emery Præsidem dignissimum, tam omniũ literarum, quàm Iuris hominem scientissimum: sorores quoque Catharinam uxorem Achillis de Harlay, Senatus Parisiensis Pro-

topræſidis incorruptiſſimi : Mariam & Iacobam. Obiit Georgius ad Poictiers circiter feſtum Natiuitatis Domini anni 1584. Ejus corpus conditum eſt in avito Thuartii templo. Claudius Dominus de Noirmouſtier conjugẽ ſibi copulavit Antonettam à Turre, quæ genuit Franciſcum Trimollium, Marchionem de Noirmouſtier maritum Carlottæ de Beaune, ex qua natus eſt Ludovicus. Ludovica nupſit Philippo de Levi, Dño de Mirepoix, quæ liberos procreavit, quorum primogenitus eſt Ioannes de Levi. Iacoba deſponſata fuit Ludovico de Bueil, Comiti Sancerræ: è quibus nati ſunt Ioannes, Sancerræ Comes hodiernus, pater Ludovici Baronis de Bueil : Ludovicus Dominus de Bueil, qui anno 1596. mẽſe Iunii obiit, relinquens ex ſorore uxoris Domini de Boiſdauphin cõjuge ſua (quæ

eo mortuo dolore & tædio non multos post dies extincta est) filios tres totidémq; filias: quorum filium primogenitum, ac filiam seniorem vnà cum tertiogenita Principis Mater, summa charitate mota sibi curæ suscepit, eósque domi suę, veluti ꝓprios suos liberos, perbenignè & nutrit & alit: ac filiæ Ludovica, Gabriela, Iacoba, Franciſca, & Anna uxor Honorati Do. de Fontayne, quibus nata est Anna de Bueil, nupta Rogerio de Bellagarda, ejusdem loci Dom. & de Termes, centum equitum præfecto, in privato Regis consilio Consiliario, Ordinis S. Spiritus Equiti, Regis Cubiculario, ac Franciæ regni magno Armigero, Ioannis de Bellagarda D. de Termes, & Annæ de Villemur filio. Fuit Franciscus homo facilis, sapiens & disertus, aliis benignus & liberalis, aliis austerus, ac severus: sed in ne-

minem, nisi in criminosos, aut quos pro criminosis habebat, sævitiam unquam exercuit. Quapropter bonis dilectionis, & improbis causa timoris erat. Apud Regem & Principes, ob res egregias summa cum vitæ integritate domi, militiæq; gestas, in gratia & authoritate maxima, pacatiori suis Maioribus tranquillitate, ævo suo vixit, plenúsq; dierum obiit, an. 1541. Ian. 5. Sepelitur in suo Thuartiensi templo.

De Ludovico Trimollio, Duce primo Thuartii ordine decimo in Arbore.

LVDOVICVS Trimollius, Frãciſci Trimollii, & Annæ Lavallẽsis filius primogenitus, primus Thuartii Dux, matrimonii vinculo sibi conjunxit

Ioannam Montmorãtiam, filiam Annæ Montmorantii Franciæ Comestabilis,& Magdalenæ,Renato Notho Sabaudiæ, Comite de Villars,Magno Frãciæ Oeconomo,& Anna de Lascaris Tende Comitissa natæ. Protulit Ioanna marito suo Ludovico Annam Talmundi Principem, qui juvenis obiit, Ludovicum Comitem de Benon , Ludovicam cœlibem demortuam, Ludovicũ alterum, post mortem fratris Annæ, Talmundi Principem,Claudiũ successorẽ,qui anno prçsenti, mẽse Martio uxorẽ duxit Carlottã Brabantinã Gulielmi Aurantii Principis,&Carolinæ Borbonicç filiam:de quibus alibi dicendum est, & Carlottam Catharinã fratrũ suorũ superstites. Ludovicus igitur, cùm in aula Regis Franciſci primi educaretur , tantùm in literis & bonis moribus profecit,ut omnibus eximiæ ejus vir-

tutes admirationi esse inciperēt, ob quas à Regibus suis, summo honore semper habitus, in negotiis magni ponderis occupatur. In Anglia fuit obses, & in Hispania circa Castellæ Regem Legatus. Sæpè in Gallia militibus imperavit: nihílque magis se optare ostendit, quàm bona, quæ possidebat, propriam vitā & sanguinē pro Regis sui & patriæ obsequio profundere. Cùm in Pictavia oppidū Mellam obsideret, quod post triduum, propter fœdus cum eo viventē percussum, in Regis potestatem se dedit, vices gerēs regias, apoplexia extinguitur, anno 1577. Martii 25. Corpus ejus terræ mandatū est Thuartii in suo Deiparæ virginis Mariæ templo. Anna uxor ejus, matrona religiosissima, charitate fervidissima, ac etiam probis moribus ornatissima, & vitæ integritate summè commēdabilis, cùm

Lutetia Parisiorum ob pestem, quæ tunc ibi grassabatur excessisset, oppidum de Sully adiit: Vbi tandem pestifero morbo infecta vitam amisit, secunda Octobris anno 1596. Sepelitur in suo sacello oppidi supradicti.

De Carlotta Catharina Trimollia, ordine XI. *in Arbore, in qua est depicta.*

apostata,

CARLOTTA Catharina Ludovici Trimollii & Ioannæ Montmorãtiæ filia, Comitissa Talleburgi, Domina Craonis, Busmierii, Sanctæ Herminæ, & Cathedræ Vicecomitis: matrimonii vinculo cum Henrico Borbonio Condæi Principe conjugata, genuit ex eo Leonoram Borboniam, & filium posthumum nomine Henricum, primarium Sanguinis Frãcię Principem, primúmque Parem, de quo

etsi multa jam suo loco diximus: hîc tamen nonnulla de ejus nativitate præstabit inferere. Peperit eum Mater sua anno 1588. Septẽbris die prima, die Iovis in ipso Meridie. Principi autẽ cùm nascereturastiterũt jussu Regis Christianissimi hodierni, qui tũc Rex Navarræ solũmodo erat, Domi-
s. Mesme. na Sancti Maximi, uxor Gubernatoris Sancti Ioannis *Angely* Fani, & Domina de *Pesses* senior. Statim verò postquam in lucem editus fuit Princeps, adfuit Domina Brisamburgi, soror defuncti Mariscalli Bironii. Dies verò aliquot ante Principis nativitatem apparuit, sub octavam horam vespertinã, ingens quædam flamma in medio cœlo, quæ in conspectu omniũ supra idem Fanũ prætervecta est. Veniebat autẽ à plaga Meridionali tendens ad Septentrionalẽ, & ad quartã horæ partẽ duravit. Fuit præterea baptizatus

Princeps die Sabbathi vigesimo Mensis Iunii anni 1592. ad tertiã pomeridianam. Baptismus autẽm in eum annum dilatus fuit, ob Regis absentiam, qui tãquam pater Spiritualis futurus expectabatur.) Tempus erat sudum & serenum: nihilominus cùm egrederetur castro, ut deferretur eò loci, ubi erat recepturus baptismum, intonuit ingentem ictum semel tantùm magno cum fragore; nec guttula quidẽ aquæ unica cadente. Et cùm aqua baptismi supra caput ejus infunderetur, intonuit iterum sine ullo casu pluviæ. Adeóque talia signa ignis ipsum semper comitata sunt. Nam cùm ipse ab Angely Fano proficiscceretur, ut ad Regem veniret, secundo diurno itinere, quod ipse confecit, in urbeculam dictam Mellam in hospitium se recepit: tunc vespere in cœlo ingẽs quædam flamma ignis conspecta fuit,

quæ rectà ſupra ipſius hoſpitium prætervehebatur, ac ibat ſe perditum verſus viam quam ille Regis juſſu inſiſtere debebat. Mirũ autẽ quàm feliciter hiſce præconiis cõveniat HENRICI à I. de Montlyard ejuſdem Principis à conſiliis & ſecretis, mihíque ſumma conjuncto amicitia, perquàm ingenioſè concinnatum Anagrãma: quod quia magnis & illuſtribus viris omnibus non modò placuit, ſed ea potiſſimùm arcana quadam ratione contineat, quæ natalem & baptiſmalẽ illius diem conſecuta ſunt; hîc ſi apponatur, nemini credo non gratum erit.

HENRICVS BORBONIVS CONDAEAEVS REGVLVS, ET REGII STEMMATIS AVITI PROTOPRINCEPS.

Anagramma.

MATRIS PENDENTEM AB VBERE GLORIOSO AVGVRII PRAECONIO TE CHRISTVS SVSCEPIT SINV.

Carlotta igitur cũprimùm ad D. Germani Fanũ acceſſit, protinus ut ſe judicio ſiſteret ſtatutum eſt. Cauſa illius à cõpetẽtibus Iudicibus circũſpecta & judicata in ſupremo Pariſiorũ Senatu, ab omnibus dicteriis, ac impoſturis adverſus eam calumniosè conſictis, 24. Iulii anni 1596. fuit abſoluta, & innocens declarata per ſolemne Areſtum. Atque idipſum Areſtum fuit publicè in acta redactum (Gallicè *Regiſtres*) ex vi diplomatis à ſua Majeſtate editi, quas literas patentes vocant. Fuit etiam approbatum Rothomagi 19. Decembris anni prædicti. Toloſæ verò 16. Maii 1597. Idẽ Burdigalæ 17. & publicatum 19. ejuſdem menſis & anni. Apud Rhedonas 5. & publicatũ die 9. Septembris ejúſce anni. Ipſomet eodem anno cõprobatum fuit Digione prima Decembris. In fine anni ejuſdem, quo Princeps ad

Ecclesiæ gremium receptus fuit, 26. Decembris in Sancti Stephani Protomartyris festo, in Archãgeli Michaëlis Rothomagensis templo Carlotta Mater publicè hæresim Calvinianam abjuravit. Fuítque ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino D. Alexandro Medices Cardinale & Archiepiscopo Florentiæ, Sanctissimi Papæ, Sedísque Sanctæ Apostolicæ in Francia Legato à Latere, Cardinalibus, Episcopis, multísque Ecclesiæ Prælatis ac secularibus Principibus assistentibus ab excommunicationis vinculo absoluta, & ad Sacrosanctam Romanam Ecclesiam suscepta, maxima Regis nostri Christianissimi, ac omnium Principũ, necnon civitatum, & oppidorum universæ Franciæ Oratorum, qui tunc in eadem civitate aderant comitiis, & incredibili lætitia, cunctorúmque applausu. Quo-

niam de hac re à viro quodam Catholico, docto, pio & devoto brevis & compta narratio scripta, non tamen typis excusa est, hîc dicere de ipsa re pauca decrevimus: eandemque narrationem, quò omnibus veritas rei clarissimè illucescat, in fine libri hujus inserere statuimus. Leonora autem Principis unica soror anno sequẽti de tenebris in admirabile Dei lumen, & lucem Catholicæ veritatis educta, ab ipso Illustrissimo Domino Legato, ut in Dei ovile per ostium, & non aliunde liberè ingredi posset, benedicitur ac suscipitur & recõciliatur perbenignè in gremiũ Ecclesiæ, Lutetiæ Parisiorum Martii die 10. cùm annos haberet novem, mẽses undecim, totidémq; dies. Ipso verò die simul cum illustrissima Matre Deiparæ Virginis templo, quod Nostræ Dominæ appellamus, inviso, cæterorum

nonnulla cùm ſummo gaudio & exultatione viſitavit: quo quidẽ tempore univerſus populus Pariſienſis concurſu maximo, ut omnium peccatorum ſuorum plenariam remiſſionem obtinerent, à Sanctiſſimo Domino Papa per modum Iubilæi conceſſam, ob totius Reipublicę Chriſtianæ pacem & quietem, ad Eccleſias cõfluebant. Principiſſa verò ab eo tempore, quo in Eccleſiæ gremium recepta fuit, tam bona & tam præclara charitatis Chriſtianæ opera edidit, ut ſit exemplum illuſtre aliis omnibus. Loca ſacra & religioſa devotiſsimè inviſit, cum ea eleemoſynarum, quam propriæ vires permittunt elargitione. Monaſteria Religioſorum, ac Monialium ſumma benevolẽtia etiam nunc proſequitur, & illorum preces, devotiones, & ſpiritalia exercitia permagni facit. Ipſas itaque Moniales, præſertim

Avemarianas (hoc est, conventus dicti Ave Mariæ) Parisienses, propter exactam sui Ordinis reformationem, ad miraculum usque amplectitur. Nec item pauperes & egeni, & variis morbis laborantes suam opẽ desiderare possunt: quippe ipsa illis adest tẽpestivè: & alacri animo illis operam suam impendit, visitando, cõsulendo, & illos (prout potest) suis pecuniis juvando, ut è paupertate veluti resurgere, & ex ipsis morbis convalescere possint. Adeóque in vinculis detentos, quoscunque potuit, in Sancta, ante Resurrectionis Pascha, hebdomada suis numis redemptos, insigni liberalitate suis uxoribus ac liberis immunes reddidit: & è carceribus domum quemque suã remisit; uti est ille mos perantiquus, in eo Sancto quadragesimali tempore, Gallorum Principum. Quod civitas Parisiẽsis ma-

gna omnium piorum consolatione experta est. Degit ad Sancti Mauri Fanum, non longè à civitate Parisiensi, cum liberis suis, quorum educationi, exemplo ac monitis salutaribus præest : Eorúmque bona jure naturæ sibi concessa facultate sedulò administrat.

Finis Epitomes rerum ab Henrici Borbonii Maioribus gestarum, ejusdémque Henrici Genealogiæ Explicationis ab Imbaldo Trimollio repetitæ.

Conjugum nobilissimarum Dominorum Trimolliorum Catalogus.

ALIS à Castro ex nobilissima Castrorum in Hispania familia orta, è qua omnes ferè Europæ Principes originem ducunt.

IOANNA Cabilonensis, vulgò *de Challon*, à Comitibus Burgundiæ, atque à præclarioribus totius Europæ familiis oriunda.

PETRONILLA ex familia de Coucy, quæ quantę nobilitatis notæ sit, omnibus clarum & manifestum est.

MARIA Domina de Sully regia ac imperatoria Constantinopolitana familia prognata.

CATHARINA de Lisla antiquę nobilitatis, & magnæ hæreditatis hæres, à Domino de Giac vidua relicta.

MARGARETA de Amboesa multarum possessionum hæres, Ludovici de Amboesa filia unica.

GABRIELA Borbonica filia Ludovici Montpensierii Comitis, neptis Ioānis Borbonii Ducis, proneptis Ludovici 2. Borbonii Ducis, Sancti Ludovici Regis abnepos.

LVDOVICA de Coitivy filia Ca-

roli, & Ioannæ Aurelianæ, filiq Ioãnis Ingoliſmi Comitis, filii Ludovici Ducis Aureliæ, Sancti Ludovici trinepotis.

ANNA Lavallenſis è ſanguine, Neapolis & Aragoniæ, Frãciq, ac Cypri Regum orta: quæ ſororem habuit primogenitam Ioãnam nomine, nuptam Domino de Rieux, matrem Claudiæ uxoris Franciſci de Colligny, è quibus natus eſt Paulus hæres Lavalli, qui ex Anna de Alegre conjuge ſuſcepit Guydonẽ natũ anno 1585. Maii 5. qui unicus eſt Lavallii dominii Dominus, nullúmque cognatum habet propinquiorem Claudio illo Trimollio Duce Thuartii, de quo antea relatũ eſt. Dicto Frãciſco Fr. Stephanus de Luſignan, in ſuo libro affinitatum Principum Chriſtianitatis cum Medicea familia, uxorem dat Carlottam Lavallen

vallenſem, quod ex dictis falſiſſimũ apparet. Carlotta enim Lavallenſis, Nicolai Guydonis, & Antonettæ de Aillon, tertię uxoris filia ultima nupſit Gaſpari de Colligni Franciæ Archithalaſſo, à quo Dominus de Chaſtillon demortuus, D. de Andelot, &c. Quamobrem Lector animadvertat cùm prędictum Luſignanum legerit.

IOANNA de Montmorancy, cujus ſanguinis nobilitas, ac claritudo lippis & tonſoribus manifeſta, & perſpicua eſt.

AD LECTOREM.

Sequenti pagina, Lector candidiſſime, invenies tabulam in qua reperies omnes progenitores, cùm ex parte patris, tum matris ſereniſſimi Henrici 2. Principis Condæi, ac Francici Sanguinis primarii Principis: incipiens ex uno latere à Ludovico Iuniori Rege Franciæ, & ex altero ab Audeberto, primo Trimolliorum Dominorum parente. Quam tabulam numeris ſignatam hic appoſuimus: vt cuique tanquam Gencalogiæ demonſtratio rectè inſerviat.

1.
Ludovicus dictus Iunior Franc. Rex.

2.
Philippus Augustus Franc. Rex.

3.
Ludovicus octavus Franc. Rex.

4.
Divus Ludovicus, uxor Margareta Berengaria.

5.
Robertus de Clermont, uxor Beatrix Borbonia.

6.
Ludovicus Borbonius, uxor Maria Hollandica.

7.
Iacobus Borbonius, uxor Ioanna Fani Divi Pauli.

8.
Ioannes Borbonius, uxor Catharina Vindecina.

15.
Henricus Borbonius.

14.
Henricus Borbonius Prin. Cond.

13.
Ludovicus Borbonius, uxor Leonora R[illegible]. ojensis.

12.
Carolus Borbonius, uxor Franciſca Alinconienſis.

11.
Franciſcus Borbonius, uxor Maria Lutzemburg.

10.
Ioannes Borbonius, uxor Ioanna de Beau[illegible]. iaú.

9.
Ludovicus Borbonius, uxor Ioanna de Rouſſy.

1.
Audebertus Trimollii Dominus.

2.
Gulielmus Trimollii Dominus.

3.
Annielus Trimollii Dominus.

4.
Imbaldus Trimollius, uxor Alis à Castro.

5.
Imbertus Trimollius, uxor Ioanna Cabilonensis.

6.
Jacobus Trimollius, uxor Petronilla de Coucy.

7.
Guydo Trimollius, uxor Maria de Sully.

8.
Georgius Trimollius, uxor Catharina de Lisla.

15.
Leonora Borbonia.

14.
Carlotta Catharina Trimollia.

13.
Ludovicus Trimollius, uxor Ioanna Montmorantia.

12.
Franciscus Trimollius, uxor Anna Lavallensis.

11.
Carolus Trimollius, uxor Ludovica de Coitivy.

10.
Ludovicus Trimollius, uxor Gabriela Borbonia.

9.
Ludovicus Trimollius, uxor Margareta de Amboesa.

IN ILLVSTRISSIMAM Principum Trimolliorum Prosapiæ Arborem.

EST aliquid quando Majores signa relinquunt,
Quæ generis monstrent nobile stemma sui.
Clarius est quando virtute oblivia delent
Nominis, & famam tempus in omne parant.
Sed nihil egregius quàm si majoribus orti
Nobilibus, studeant moribus esse pares.
Respice quàm virides hæc gestent bractea ramos:
Has tibi proponit nobilitatis opes.
Penè hæc quingentis soboles manavit ab annis,
Pandit & annoso brachia prisca satu.
Trimolii generis caput Audebertus, in hostes
Christicolæ gentis dum movet arma pius,
Excidióque necat, Gothofredo sub duce, Turcas,
Externa cecidit sanguivolentus humo.
Fœlix prole parens! gemino námque auctus Achille
Guillelmus Turco sanguine tinxit humum.
Ivit in Albigenos Augusto Rege Philippo
Montforti Annielus prima columna nepos,
Subsidiísque ejus Rex in sua sceptra redegit
Neustriacos, Andes, Cœnomeúmque solum.
Castræo generi Imbaldus Trimollius arma
Miscet, ut è binis exeat una domus.
Castræum genus est Hispani tertia regni
Nobilitas, quo nil clarius Orbis habet.
Hoc siquidem veniunt Galli de semine Reges:
Hinc Lotharingeos, Hesperiósque petas.

Hinc Portugalli, venit hinc Ferraria proles,
Mantua, Parmenſis, Allobrogúmque domus.
Hinc fluit Auſtriacus, Bavarus, Sueduſque-Polonus,
Hinc penè innumeri deſiliêre Duces.
Parca tribus natis abſcindit ſtamina vitæ,
Cum patre, dum pugnant cum Mahometigenis.
Imberto generis Cabilonj ſumitur uxor,
Vxor Iacobo Cucia ab æde venit.
Exin in Anglorum convertit viſcera dextram
Pro te, pro nato, clare Philippe, tuo.
Guydo nepos Mariæ Sullinæ jungitur, ortæ
E Byzantino Chriſtopoliſque ſatu.
Iani primigeno Comiti Bononia paret,
Qui patre non geſſit geſta minora ſuo.
Quando Sigiſmundus cum Turcis bella moveret,
Guillelmus Iani patruus occubuit.
In pugna capitur Guydo Germanus eadem,
Poſtea qui Rhodio vulnere læſus obit.
Sed video multos ejus de ſtirpe Nepotes
Multa tenere ſua ſub ditione loca.
Ambæſæ præſunt, præſunt Montique Richardo;
Sunt Domini Craûm, mœnia Blera tenent:
Inſula Buchardi, Mons illis paret Acutus,
Rupis-Fortis eis, Arxq; Thuarta ſubeſt.
Donec Ludoicus cælo notiſſimus Heros,
Quem mors Ticini ſuſtulit enſe fero,
Borbonio duxit Gabrielida ſanguine cretam,
Quæ Sancto fuerat Rege Bonóque ſata.
Talburgi Dominæ Carlus Trimollius hæſit,
Connubii firma junctus uterque fide.
Ille Marignanâ ſexdeno vulnere pugnâ
Corporis è vinclis vectus ad aſtra fuit.
Franciſcus ſequitur patris veſtigia: conjux
Illi Lavallis ſanguinis Anna fuit.
Prodiit hinc Heros, qui Montmorantia junxit

Arma ſuis, claris clarior ortus avis.
Ille Thuartæa Dux primus floruit arcis,
Maulconis Dominus, Benouiſque Comes.
Talmudæus ager tam claro Principe gaudet.
Gaudet & inſigni Regianum Domino.
Sancerræ & Mirepis auguſto fœdere iunctus,
Quod nunquam poterit ſolvere longa dies.
E Sancerra autem Belgardæ prodiit uxor,
Cui domitor poſsit cedere Caſtor equûm.
Sed quis Trimoliæ neſcit duo lumina gentis?
Inde Thuartæa gloria dupla Ducis.
Bina tuo, Dux magne, fluit de vimine proles,
Fœminei ſexus hæc decus, ille virûm.
Trimolius qui te fama, qui nomine reddit,
Eſt virtute ſuis æquiparandus avis.
Fratre & digna Soror, qua nil formoſius extat,
Sæcula cui nullas priſca tulêre pares.
A gemino claros pendentes ubere natos,
Mille meret, ſimiles Hectori mille meret.
Debet Francigenis Arturi mille lacertos,
Quorum præſidiis ales Ibera cades.
Interea ô Trimoliæ ſpes altera ſtirpis,
Sydera cui larga dona dedêre manu:
Fac precor adjutus beneſuadæ Neſtoris ore,
In noſtros redeant aurea ſecla dies.
Et tua regali tandem Soror inſita virgæ,
Magnanimæ prolis ſit ſine fine parens.
Illius innumeri manent à ſtirpe Nepotes,
Vt nullo pereat tanta propago die.

LVD. LEODEGARIVS.

De Flammula, ſive de Vexillo ſancti Dionyſii, vel de Orniphla, aut de Auriflamma, Tractatus.

APVD Francos Clodoveo Regi, aqua fontis ſacri lavato, Deum è cœlo Vexillũ per Angelos ſuos miſiſſe vox communis eſt. Id Vexillũ in Divi Dionyſii Fano ſervabatur, vexillúmq; ejuſdem Sancti, ſive Flammula, vel Orniphla dicebatur. Paulus Æmylius illud ſacrũ Frãcorum ſignum vocat. Plurimorũ eſt opinio non ideo vocari illud vexillum Flammulam, vel Orniphlam, ſive Auriflammam, ex eo quòd eſſet flammis inſignitum: ſed quia ingenti luce, cœlis apertis, fuerit cœlitus delatum ab An-

gelis inter manus Clodovei Regis Franciæ, postquàm Christianus esset effectus. Idque contigit in nemore quodam, non longè ab oppido Pistis dicto. Id hodie Poissy. Pissiacum, aut potiùs Possiacos communiùs appellamus. Quod posteà Lucus factus est, & Sancto Bartholomæo dicatus: ubi est abbatia Ordinis Præmonstratensis, dicta Ioya-en-val, quasi gaudium in valle. Quo etiam loco prope magnum sacellum Ecclesiæ dictę abbatiæ, Divo Bartholomæo dedicatæ, ad plagam Orientalem Lilia ipsi Clodoveo de cœlo missa è lapideo scuto super fontem lepidissimum currentis aquæ eminenti, quod Angeli cujusdã effigiei manibus sustentatur, ad memoriam sempiternam tanti miraculi, hodierna die sculpta visuntur. Vocari autem Orniphlam propriè, id est lucẽ admirabilem, antiquo idiomate Gallorũ: quod

postmodum Franci corruperunt, dicentes Oriflamme, ut Tilletus Amanuensis, sive ut Ægydius Oriflambe. Sic solent res maximi momẽti sua nomina retinere.

VT verò quis intelligat Flammulam nihil aliud fuisse, quàm vexillum, Armoricani carmina, in descriptione Bovinensis pugnæ, hîc præstat inserere.

At Regi satis est tenues crispare per auras
Vexillum simplex cendato simplice tectum,
Splendoris rubri, quali celebri litania,
Vtitur in certis Ecclesia sancta diebus:
Flamma cui cùm sit Francis vulgò aurea nomen,
Omnibus in bellis habet omnia signa præire,
Quod Regi præstare solet Dionysius Abbas,
In bellum simptis quoties proficiscitur armis,
Idque gerit tollens equitum præfectus in altum,
Vectus equo, cunctas suetus præcedere turmas.

Ex his perspicitur quid Flammula, qualísque fuerit, & ex libro duodecimo Ioannis Villanei, ubi de eodem vexillo ita scriptum reliquit. Philippus sextus eduxit è templo Divi Dionysii vexillum ex auro & flamma, quod educi

inde non solet nisi pro summis, Regis regniq; necessitatibus, idq; ex auro & purpura compositum est. In Bovinensi autẽ pugna (ut est apud Papirium Massonum, ex quo nonnulla excerpsimus) præter Flammulam regium signum liliis conspicuum ante Regẽ fuit: cujus rei Vincentius Bellovacẽsis Scriptor illius temporis testis est.

In Divi Dionysii archivis extãt tabulæ Roberti Regis, Hugonis Capeti filii, datæ 25. mensis Ianuarii, anno regni primo, qui fuit 997. quibus narrat se erga id monasterium liberalitate usum spe obtinendæ de hostibus victoriæ, referendæque in templum Dionysii Auriflammæ vexilli illius Martyris & Sociorum Dei beneficio invicti.

Ludovicus Crassus anno 1124. publicis tabulis actis Parisiis, quæ supersunt, agnoscit comitatũ Vilcassinũ (id est Vexin, in provincia

Frãcię) esse in clientela, & jurisdictione Dionysii, Rustici & Eleutherii Martyrũ: & Comites Vilcassinos retroactis temporibus jus habuisse ferendæ in bellis Flammulę. Idem Crassus devoluto à se comitatu eo bello quod adversus Henricum quintũ Cæsarem acerrimum parabatur circiter annum millesimum centesimum vicesimum, Flammulam non ut Rex, sed ut Comes ab Prę-fecto illius monasterii alacriter suscepit. Henricus insuper mense Augusto Galliã invadit, Rhemis multùm infensus ob injuriã in illorum urbe acceptam; timore perculsus, Regis potentia cognita, domum revertitur. Sed præstat Sugerii viri clarissimi, qui Crasso admodum charus fuit; verba inserere: Quoniã beatum Dionysium specialẽ patronum, & singularem post Dominum regni protectorem, & multorum

relatione, & crebro cognoverat experimento, ad eum festinans tá precibus, quàm beneficiis pulsat, ut regnum defendat, personam conservet, hostibus more solito resistat. Et quoniam hanc ab eo habent prærogativam, ut si regnum aliud regnum Francorum invadere audeat, ipse beatus & admirabilis defensor cum sociis suis tanquam ad defendendum, altari suo superponatur, eo præsente fit tam gloriosè, quàm devotè. Rex autem vexillum ab altari suscipiens, quod de comitatu Vilcassini, quod ad Ecclesiam feodatus spectat, votivè tanquam à Domino suo suscipiens, pauca manu contra hostes, ut sibi provideat, evolat, ut eum tota Francia sequatur potenter invitat. Hactenus Sugerius. Flammula verò quando extra Ecclesiam erat asportanda, eam Abbas benedictionę sequenti benedicebat.

Benedictio Flammulæ.

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum & terram.*
℣ *Domine exaudi orationem meam.*
℟ *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMVS.

INclina Domine aures tuas precibus humilitatis nostræ: & intercessione sancti Michaelis benedicti Archangeli tui, & omnium virtutum cœlestium da nobis dexteræ tuæ auxilium: ut quemadmodum benedixisti Abrahæ triumphanti adversus quinque Reges, & Dauidi Regi, cùm progressus triũphales ageret & exerceret, in laudem tui nominis: sic tibi placeat bene ✠ dicere, & sancti ✠ficare istud vexillum, quod jam pro Sanctæ Ecclesiæ defensione gestatur cõtra rabiem inimicorũ: adeò ut in nomine tuo fideles & defensores populi Dei, quicumque ipsum sequentur, gaudeãt se acquisiisse triumphum & victoriam ab adversariis, per

virtutem sanctæ Crucis, ac illius, qui regnat cum Patre & Filio, & Sancto spiritu paracleto Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Post supradictam benedictionem pronuntiatam, præfatus Abbas, cùm Vexillum traderet Regi, eidem dicebat.

Deus per suam gratiam, ac precibus vestri glorioſi patroni Domini Sancti Dionysii, Sociorúmq; ejus Rustici, & Eleutherii, vobis concedat præclarã ab omnibus vestris inimicis obtinere victoriam. ℟. *Amen.*

His ita gestis idem Rex jubebat illud Vexillum à Comite Vilcassino gestari, quòd jus illud haberet, tanquam unus ex præcipuis supradictorum Martyrũ vassallis & clientibus. Postquam verò ille comitatus fuit in Regis patrimonium adscitus, Rex commisit gestandæ Flammulæ aliquẽ famigeratissimum nobilem, magni nominis, probitatis & fortitu-

dinis, qui antequam illam acciperet gestandam, curabat, ut sua cõscientia in bono esset statu cõstituta: Deinde, propriis criminibus expiatis, & à suo Confessore absolutus, sacrosanctum Christi Corpus recipiebat, & consueta præstabat de referenda Flammula juramenta.

Circa annũ 1210. Frãciæ proceres in Regis sui Philippi Augusti necem conspirant, regníque provincias inter se partiuntur, quorum erant capita, Fernandus Flandriæ Comes ac Franciæ Comestabilis, Reginaldus Dammartinus, & Bononiæ Comes, qui omnes societatis fœdus cũ Othone Cæsare inierant. Extemplo patefacta conjuratione, ingenti manu conflata Rex in Flandriam concedit: ubi in confertissimum hostium agmen irruens ad Bovinas celeberrimam victoriam reportavit. Pugna peracta Augu-

ſtus in Franciam revertens, Flammulam, quã ex Divi Dionyſii Fano de Abbatis manibus acceperat, quámque Domino Ægydio de Montigni Equiti aurato, viro nobili, ob ejus virtutem, & in re militari peritiam in dicta pugna educendum tradiderat, templo præfati Divi Dionyſii reſtituit.

DOMINVS de Ioinvilla in hiſtoria ſancti Ludovici flammulã Divi Dionyſii Vexillum vocat: illúdq; affirmat ab ipſo ſancto Ludovico aſportatũ fuiſſe in prima expeditione adverſus Infideles.

CVM Divus Ludovicus in Africam trajicere ſtatuiſſet, cum tribus filiis, magnáque Principum, & nobiliũ caterva, atque ingenti exercitu ſtipatus, teſtatur Ægydius, illum in Divi Dionyſii Fano circiter annum 1270. Flãmulam accepiſſe è manibus Domini Matthæi, dicti loci Abbatis. Quem & Simonem de Clarmõt,

Equitem auratum, Dominum de Neelle, ob eorum prudentiam & in rebus agẽdis peritiam ac sagacitatem ipse sanctus Ludovicus, ante suũ è regno discessum, ejusdem regni Gubernatores, ac Defensores instituit. Hæc verò Sancti Ludovici, contra Infideles Africana expeditio secunda fuit.

Anno 1328. Rex Philippus Valesius in Æde Divi Dionysii Franciæ præsidis, à Fani Antistite. Flammula accepta, eáq; D. Millonis Norerii, qui sex militũ cohortibus imperabat, fidei, virtutíque commissa in Flandros duxit: Sublato clamore horribili juxta Montem Casselli Rex equo impositus suorum animos excitat; cruentam ac funestam hostium audaciam facit, hostes debellat. Ex hostibus duodeviginti millia cecidere; Cassellum repetitum, direptum, & incensum, 23. Augusti, in Apostoli Bartholomæi vigi-

lia. Valesius rediens in Franciam Ecclesiæ Divi Dionysii Flammulam tradidit.

Anno 1347. idem Philippus Flammula à D. Dionysii Abbate accepta, eadémque commissa D. Gothofredo de Charny Equiti aurato, in Burgundia ex nobilissima familia orto, ad dandas suppetias suis Calletum pergit. Exin domum reversus Flammulam D. Dionysio reddidit. Prædictus Gothofredus de Charny occisus fuit anno 1356. in Pictavienſi pugna, in qua Flammulæ etiam ductor fuit.

Anno 1368. Reginaldus Dandrehan, Deuchan, cognominatus Frãciæ Marescallus ob nimiã senectutem, post multos labores, regnantibus Philippo Valesio, Ioãne filio, & Carolo V. nepote, pro regni patriæq; tuitione exãtlatos, Marescalli munus sive dignitatem dicto Carolo remisit.

Ne verò in Republica Gallicana vir tam præclarus, ac de patria tã benemeritus absque præmio aliquo, vel remuneratione privatus videretur, Rex illi Flammulam, dum viveret, asportandam perpetuò tribuit.

Anno 1382. Carolus VI. exercitum parans adversus Flandros, qui à suo Principe Ludovico 2. Malano dicto à natali castro defecerant, Flammula è D. Dionysii Antistitis manu accepta, eáq; tradita D. Petro Villario, Seniori, Equiti veteri, viro perquàm magnanimo, ac nobilissimo, (quippe qui cùm esset magnus Franciæ Oeconomus, Carolo V. regnãte, eãdem Flammulam in bello duxerat) Flandriam petiit, primóque congressu Flandrorum hostium ad tria millia cædit. Ad Rosebeccam Flandri generatim constiterant. Quò Rex accessit, explicatáque Flammula, quodam

numinis miraculo ex caligine densa obscuratus serenitati redditur. Simile miraculum factum fuisse Valesii tempore, dum arma sumeret contra Eduardum 3. Regem Angliæ scripsit Æmylius his verbis. *Flãmula pro tabernaculo Regis explicata, splendore armorũ cuncta fulgere.* Novembris 29. (ut Ægydius, vel ut Tilletus Episcopus, 21.) facta pugna, ex Flandris triginta circiter millia desiderata, fugientiũ 10000. jugulata fuere. Bello peracto & Ludovico in sua sede pacificè redacto, Carolus in Franciam rediens ad D. Dionysii Fanum pergit: ibíq; gratias Deo, & Martyribus ingentes agens capite discooperto & sine cingulo Flammulam restituit.

Anno verò 1382. ipse Carolus adversus Anglos & Flãdros bellum gerens, Flammulam quam à paucis antè diebus D. Gulielmo de Bordes tradiderat, Guydoni

Trimollio viro nobilissimo, atq; in bello gerendo peritissimo cõmisit. Rebus interim fœliciter peractis Rex ipse domum regressus victor Deo optimo Maximo laudes meritas & Martyribus gratias agẽs, Flammulam D. Dionysii Antistiti reddidit. Vltimo verò D. Hutinno *de Aumont*. Ab eo itaque sæculo ad hodiernum usque, ullam de Flammula mentionem fieri apud historicos haud inveni. Is denique cui flammulæ munus commissum erat, Flammulæ custos dicebatur.

Hæc, amice lector, de Flammula sive de vexillo sãcti Dionysii, vel de Orniphla, aut de Auriflãma ex plurimis Latinis, ac Gallicis historiis collegimus; Nõnulla tamen Nobilissimi cujusdam amici opera, ante paucos dies, nos de eadẽ Flammula vobis non ingrata in lucem edituros speramus. Valete.

FINIS.

Copie du Priuilege du Roy.

HENRY par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre. A noz amez & feaux les gens tenans noz Cours de Parlemẽt, Preuoſt de Paris, Seneſchal de Lyon, & a tous autres noz iuges & officiers qu'il appartiendra, & a chacun d'eux, Salut. De la part de noſtre cher & bien aymé Reuerend Frere Ioſeph Texere, Portugaiz, Docteur en ſaincte Theologie, Frere de l'ordre des Preſcheurs, Confeſſeur du feu Roy de Portugal, noſtre Conſeillier, Aumoſnier, & Predicateur, Nous a eſté humblemẽt expoſé qu'auec beaucoup de ſoing, eſtude & diligence il auroit redigé par eſcrit la Genealogie de noſtre treſcher & treſ-aimé Nepueu le Prince de Condé, Premier Prince de noſtre ſang, intitulé *Regiæ Borboniorũ familiæ & Trimolliorum principum genealogia.* Et vn liure de l'explication d'icelle, intitulé *Explicatio genealogiæ Sereniſsimi Henrici 2. Condæi, Franciæ Principis, à Dino Ludovico per Borbonios, ac etiã ab Imbaldo Trimollio vſque ad utrumque dicti Henrici parentem repetitæ. Authore R. P. F. Ioſeph. &c.* Ce qu'il deſireroit bien faire imprimer en noſtre Royaume, pour la commodité & vtilité publique: & à ceſt effect choiſir quelque perſonnage qui peuſt repreſenter leſdites Genealogies en beaux & bons caracteres: s'il nous plaiſoit ſur ce luy octroyer noſtre permiſſion & priuilege. Pource, eſt-il, que nous deſirans fauoriſer le labeur dudict ſuppliãt, & que noz

ſubiects en puiſſent tirer quelque fruict & inſtruction: Auons audict Frere Ioſeph Texere de noſtre grace ſpeciale pleine puiſſance & authorité Royale, permis, accordé & octroyé, permettõs & accordons par ces preſentes, qu'il puiſſe, & luy ſoit loyſible faire imprimer ladite Genealogie & liure deſſuſdit, tant en Latin qu'en François ou en quelque autre langue, par tels libraires & imprimeurs que bon luy ſemblera, & qu'il voudra choiſir & commettre, & ce pour le temps & eſpace de ſix ans, a commencer du iour & datte de ceſdites preſentes: en vertu & conſequence deſquelles, il pourra bailler & preſter ſon conſentement pour l'impreſſiõ deſdites Genealogies a celuy ou ceux qu'il aura eſleu pour ce faire. Deffendant treſexpreſſement par ces meſmes preſentes, à tous Libraires & Imprimeurs, & autres qu'il appartiendra, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & diſtribuer la ſuſdite Genealogie, pendant ledict temps de ſix ans, ſur peine de confiſcation d'iceux, & de tous deſpens dommages & intereſtz, ſi ce n'eſtoit du vouloir & conſentement dudict Texere. &c.

Ainſi ſigné. Par le Conſeil.

BVYER.

NARRATIO,
IN QVA TRACTATVR
de apparitione, abjuratione, cõverſione, & ſynaxi Illuſtriſſimæ Principis Carlottæ Catharinæ Trimolliæ Principiſſæ Condęi, Henrici Borbonii, primi in Frãcia Principis Sanguinis, primíque Paris Mater.

P. V. D. P. C.

Amico ſuo chariſſimo Raphaëli Parvivallis Regio Typographo, S. P. D.

POSTQVAM *intellexi, te nondum ſub prælum miſiſſe Narrationem de regio in noſtram Rothomagenſem civitatem ingreſſu, cùm ſua Majeſtas Chriſtianiſſima in eam ovans invecta eſt: Nec etiã aliam Narrationem de illuſtriſſimi D. Gil-*

berti Talbot Comitis Salopiæ adventu, qui Garterium suæ Majestati Christianissimæ obtulit gratulans, ac de ejusdem quoque Garterii, sive Periscelidis origine. Neque etiam itidem Narrationem de numero Equitũ auratorum, quos sua dicta Majestas in suum Ordinem sancti Spiritus coaptavit in eadem civitate, atque de ipsius Ordinis institutione (tu enim mihi dixeras, te in animo habere, ut eæ omnes Narrationes in publicum proderent, ex tua officina) apud me iis perpensis hanc Narratiunculam cõtexere constitui de conversione Illustrissimæ Principissæ Carlottæ Catharinæ Trimolliæ, quæ mater est Illustrissimi Principis Henrici Borbonii, primarii & inter Principes regii sanguinis, & necnon inter Franciæ Pares, ubi tractatur à me quo pactò illa ad verum Dei ovile fuerit admissa: ac de eius Synaxi in Ecclesia metropolitana ejusdem civitatis. Quam quidem Narratiunculam tu aliis adjunges sub eodem prælo; ut proximè

eam sequatur, quæ est de Ordine sancti Spiritus. Sitque quarta numero, ut in titulo ipso ego apposui. In quo te rogo, ut caveas, ne quis error committatur: quia historia est digna quæ excudatur, & mandetur memoriæ, ad exemplum posteris in sæcula, quæ succedent. Quod etiam juvare poterit Episcopos, Inquisitores, Prælatos, Pœnitentiarios, & alios, quibus incumbit admittere in sinum Ecclesiæ illos, qui excæcati sunt officiis ac fraudibus hæreticorum, ut sit illis pro formula observandi ritus in iis, qui convertuntur. Quod non abs re commemoro, quia scio multos hîc grauissimè errare solitos.

NARRATIO QVARTA, in qua tractatur de apparitione, abjuratione, cõversione & synaxi Illustrissimæ Principis Carlottæ Catharinæ Trimolliæ Principissæ Cõdæi.

DECIMA nona Decembris, anno Domini 1596. die Iovis ingressa est in civitatẽ Rothomagensem Illustrissima D. Carlotta Catharina Prĩcipissa Condæi, ex sancto Germano ad Hayam profecta: ubi tum cum liberis Principibus habitabat. Ingressio autem illa simpliciter peracta est, sine rumore & sine plausu; quæ est innata consuetudo Principissæ Illustrissimæ, & summa humilitas, qua in omnibus suis actionibus vti solet. Postquam verò illa adueniſſet,

statim Majestas sua Christianissima non solùm ad postulationem illustrissimorum dominorum, Comestabilis & Ammiralis, qui ambo sunt ejusdem Principissæ avunculi, scilicet fratres matris suæ, Dominæ dum viveret, selectissimæ, & omnes laudes, quæ in mulierum genus cadere possunt, supergressæ; sed etiam spõte sua & motu proprio, ut firmiter Catholicam fidem amat & amplectitur: qui verus est Christianismus. Constituit Rex ipse, inquam, constituit, ut illa Principissa tandem id exequeretur, quod jamdudum multos ante dies determinarat agendum fore, & ipsa majorẽ in modum affectabat. Nimirum, ut Calvinismũ illa ejuraret in manibus Illustrissimi & Reverendissimi D. D. Alexándri Medices, Cardinalis & Archiepiscopi Florentiæ, Sũmi Pontificis san-

ctæq; Sedis Apostolicæ Legati à Latere in Franciæ regno. Qui quidem, semel de eo admonitus tale esse cõsilium, misit domum Illustrissimæ Principissæ Dominum Alexandrum Iustum, sanctissimi Domini nostri capellanum, & sacræ Rotæ Auditorem, necnon cancellariæ legationis Regentem, virum insignẽ pietate, & maturum judicio, & consiliis gravem, ut illi processum instituerer, scilicet ut ab illa intelligeret speciatim, quas illa opiniones sequuta esset contra Ecclesiæ Romanę doctrinam (illa porrò diligentia erga omnes ad Ecclesiam redeuntes adhiberi debet, sive qui de novo ad illam accedũt, ut Sarraceni, Turcæ, & Pagani: aut qui etiam sunt in ipsa hæresi nati & alti. Idque debet rescirì ab iis, qui scripserunt & dogmata sparserũt, quænam illa sunt, ut de suis errori-

bus pleniorem ipsi pœnitentiam facere possint. Et de his omnibus debet fieri mentio particularis in sua abjuratione.) Comperit illam Principissam nullam habuisse propriam opinionem: nam credebat Purgatorium, Liberum arbitrium profitebatur, Fidem sine operibus esse mortuam, Sacramẽta septem, & Auctoritatem Sanctissimi Papæ agnoscebat liberè. Denique credebat & profitebatur quicquid Ecclesia Romana assereret in universum. Error vnus & maximus illius erat, quòd sequuta esset omnes ritus hæreticorum, & constitutiones illorum, & quòd cœnam cum illis feciſſet. Simul errav erat plurimùm in eo, quod dum hæc ageret, sibi persuadebat, se non esse extra gremium Ecclesiæ Romanæ, quandoquidem in corde suo non adversabatur illius doctrinæ, imò cre-

debat, & confitebatur id totum quod ipsa Ecclesia credit & confitetur : Quæ quidem persuasio erat mera hæresis. Facto processu & ab Illustrissimo D. Legato satis prospecto, statim fuit concluſum ut illa eã abjurationem celebraret ad primam octavam Natiuitatis Domini, hoc est die Sancti Stephani Protomartyris, tertia hora pomeridiana, qui fuit dies octavus ex quo illa ingressa fuerat eandem civitatem, intra Ecclesiam Divi Michaëlis, propter vicinam, qua contingebat domũ Domini de Bourtruda, ubi fuerat Dominus Illustrissimus Legatus hòspitio exceptus. Adeóque etiam quia non existimabatur ab illa parte, fore magnum populi concursum, ut ille actus haberetur sine perturbatione & cum tranquillitate; sed contrariũ accidit, quia tantus fuit, tamque magnus populi

conventus (etsi negotium minimè publicatum fuisset, ut fieret sine rumore & strepitu) & tam vehemens, ut coacti fuerint stipatores & honorarij milites Illustrissimi Domini Comestabilis valla pangere aggestis arculis, lapidibus, & palis in circuitu Ecclesiæ: & tandem fuit necessarium domino Comestabili, ipsis operis adesse pro sua virili. Vidi quæcunque ibi acta sunt. Cùm accederet ipsa Principissa cum Illustrissima domina Comestabili, & domina Ammiralia cum aliis multis primariæ nobilitatis dominabus præcipui stēmatis, cūctæ fuerunt eò redactæ, ut ipsa valla transcenderent, in quo multum laboravit Illustrissimus Comestabilis, dum eas ambabus vlnis exceptas, in Ecclesiam asportaret: Et mihi ipsi manum præbuit adjutricem benignissimè. Forsitan si ille non

adfuisset, ego foras excluſus remanſiſſem. Ab ipſa porrò porta ad capellam majorem uſque, ubi ſedebat Illuſtriſſimus Dominus Legatus in Pontificalibus prope altare magnum, multùm operæ & temporis impenderũt illæ, ut ad eum locum pervenirent ſumma cum difficultate. Quia non ſolùm fornix Eccleſiæ totus erat gente oppletus, quæ magno impetu ferebatur; ſed ſuperius tectum, columnæ, gradus, parietes cum ſcalis penſilibus onerabantur ingenti multitudine. Denique omnia erant loca occupata gente non plebeia quidem, quia plebi prohibebatur aditus facilè: ſed nobilibus & magnatibus ſummæ auctoritatis. Cùm porrò acceſſiſſet Principiſſa, flexis genibus ſecus pedes Illuſtriſſimi Domini Legati incepit apparitionem ſuam facere, ea forma.

EGO CARLOTTA CATHARINA *de la Trimoille humiliter & supplex compareo coram Dominatione vestra Illustrissima & Reverendissima, & ei omnia qua decet reverentia supplico, quatenus stante quòd me pœnitet errorum contra sanctam Fidem, quam tenet, docet & prædicat sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, ipsámque sanctam Dei Ecclesiam, illiúsque jura & personas, non solùm perperam credendo omnes errores Calviniſmi: sed etiam male operando: Videlicet quòd ego cœnam Calvini pro Sacramento exercuerim, cæterisque omnibus erroribus & hæresibus Calviniſmi adhæserim, & illos sequuta fuerim: Ac ab illis in futurum divina assistente gratia abstinere, ac Sanctissimi Domini nostri Papæ, & S. Ecclesiæ mandatis parere, & stare volo, & ita promitto: Dignemini concedere benedictionem & absolutionem à censuris per me incursis, ac me in communionem sanctæ Sedis Apostolicæ reci-*

pere; & cum eadem reconciliare in forma Ecclesiæ consueta, offerens & promittens hæreses & errores quoscúmque corde sincero & fide non ficta abjurare, fidémque Catholicam profiteri, juxta formam mihi assignandam, cæteráque omnia alia & singula pro parte mea adimplenda, bona fide adimplere ad omne mandatũ Sanctissimi Domini nostri Papæ & S. Sedis Apostolicæ, ac Illustrissimæ & Reverẽdissimæ Dominationis vestræ: Eámque suppliciter & humiliter peto & supplico instanter & instantissimè EGO CARLOTTA CATHARINA DE LA TRIMOILLE.

Qua quidem petitione & supplicatione per prælibatum Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Cardinalẽ Legatum audita ac intellecta, idem Illustrissimus, ut supra sedem Salvatoris, Domini nostri Iesu Christi nomine invocato, pronuntiavit, prout in schedula manu suæ ipsius Illustrissimæ ac Reveren-

dissimæ Dominationis subscripta, quam tradidit & consignavit Symoni Ianel, Clerico Tullensis diœcesis, publico Apostolica authoritate, & in Archivo Romanæ Curiæ descripto Notario, & Legationis Scriptori, legendam & publicandam; quæ quidem humiliter recepta ut decet, mãdatis parendo suæ Dominationis Illustrissimæ, ad præsentiam supradictæ Excellentissimæ, ac Illustrissimæ Dominæ Principissæ audientis & intelligentis, perlegit & publicavit tenoris infradicti sub verbis.

Nos ALEXANDER *tituli Sanctæ Praxedis Presbyteri, Cardinalis Florentiæ, Sanctissimi Domini nostri Domini Clementis, divina providentia Papæ octavi, & Sedis Apostolicæ de Latere Legatus in hoc regno, sufficienti, ad infradicta per litteras Sapientissimi Domini nostri Papæ & Sedis ejusdem, facultate muniti, cùm*

Illustrissima & Excellentissima Domina Carlotta Catharina de la Trimoille Principissa Condensium, coram nobis sponte cõparuerit, ac juridicè confessa fuerit, tenuisse & credidisse supradictos errores, & hæreses, & verba; exercuisse cœnam Calvini pro Sacramento, cæterisque omnibus erroribus Calvini adhæsisse, & sequutam fuisse. Quapropter visa tua spontanea apparitione, ac supradictorum errorum & hæresum confessione, visisque videndis, & consideratis considerandis, ad infradictam sententiam devenire decrevimus.

CHRISTI NOMINE INVOCATO *pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam de Reuerẽdorum Patrum, Sacræ Theologiæ, & Iuris utriusque Doctorum consilio fecimus, in his scriptis in hujusmodi causa & causis coram nobis vertentibus, Dicimus, Pronuntiamus, Sententiamus, Decernimus, & Declaramus*

te Principissam antedictam fuisse hæreticam, & propterea in omnes pœnas & censuras Ecclesiasticas à sacris Canonibus, aliisque constitutionibus generalibus, & particularibus contra huiusmodi delinquentes inflictas & promulgatas incurrisse. Verùm, quia sponte apparuisti, ac liberè errores tuos confessa es; & illorum veniam & misericordiam humiliter petis, te ab omnibus & singulis excommunicationis sententiis, ceu & pœnis Ecclesiasticis, quas præmissorum occasione & causa quomodolibet incurristi, absoluimus; dummodò priùs corde sincero & fide non ficta abjures, maledicas, detesteris, & anathematizes hæreses & errores, quos tenuisti & credidisti, unà cum omnibus & quibuscumque aliis hæresibus & erroribus contra sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, sese quomodolibet extollentibus, prout hac nostra diffinitiva sententia tibi faciendum præcipimus, modo & forma tibi à nobis tradenda. Et ut faciliùs

veniam & misericordiam errorum tuorum à Deo cõsequaris, pro pœnitentiis salutaribus tibi injungimus, ut quolibet die Lunæ per annum celebrari facias in aliqua Ecclesia tibi benevisa Missam Defunctorum, & eidem Missæ, dum celebrabitur, interfis; Quolibet mense sacratissimum Eucharistiæ sacramentum sumas; Quolibet die Sabbathi recites officium beatæ Mariæ: reservantes nobis facultatem, easdem pœnitentias in graviores alias, sive leviores commutandi: & ita Dicimus, Pronuntiamus, Sententiamus, Decernimus, Declaramus, pœnitentias Injungimus, & Absolvimus, isto & omni alio meliori modo quibus possumus & debemus. ITA PRONVNCIAMVS, ALEXANDER CARDINALIS FLORENTIAE LEGATVS.

Quaquidẽ schedula pronuntiationis & decreti lecta, eadem Illustrissima Domina Principissa dixit, se illud eodẽ modo lectum & publicatum intellexisse, ac il-

lud & omnia in eo contenta humiliter,& reverenter acceptare, eidémque parere, & satisfacere velle: & successivè in illius executionem eodem modo constituta, & genu flexa schedulam etiam manu ejusdem Principissę subscriptam, continentem hæresum abjurationem, ac promissionem de parendo mãdatis Ecclesiæ,& de adimplendo mandata,& pœnitẽtias per suam Dominationẽ Illustrissimã injũctas & injungendas,ac sacrosanctis Dei Evangeliis ante eam positis, ac per eam manibus tactis Abjuravit, Promisit, & Iuravit, & alia fecit prout in decreta schedula latiùs continetur: qua schedula eidẽ notario supradicto tradita & consignata de mandato ejusdem Illustrissimi Domini Cardinalis Legati pro ipsa Illustrissima Domina Principissa alta & intelligibili voce, primùm lín-

gua Gallica, deinde Latina perlegit, in hunc, qui sequitur modum. Verba Principissæ.

Ego Carlotta Catharina de la Trimoille, Principissa Condensium, constituta personaliter in judicio, & genu flexa coram vobis Illustrissimo & Reverendissimo D. D. Alexandro Cardinali Sanctissimi Domini nostri Papæ, & Sedis Apostolicæ in hoc regno Franciæ de Latere Legato, Sacrosancta Dei Evãgelia coram me posita, manibus corporaliter tangens, sciẽs neminem salvum fieri posse extra illam fidem, quam tenet, prædicat, profitetur, & docet sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia Romana: cõtra quam Fateor & Doleo me graviter errasse, eo quòd credidi, & tenui hæreses, Verba; Exercui cœnam Calvini pro Sacramento, cæterísque omnibus erroribus adhæsi & sequuta sum: quos errores & hæreses me summopere tædet & pœnitet tenuisse & credidisse, & propterea illas Abjuro,

Maledico, Detestor & Anathematizo vnà cum omnibus, & quibuscumque aliis erroribus & hæresibus contra prædictam sanctam Ecclesiam, sese quomodolibet extollentibus. Et juro me nunc toto corde credere & in futurum credituram, Deo adjuvante, quicquid tenet, credit, profitetur, prædicat & docet prædicta sacrosancta Ecclesia: & promitto, ac juro, me nunquam in posterum prædictas hæreses, nec earum aliquam, nec aliquam aliam hæresim, ceu errorem credituram, neque illis adhærebo, neque prædicta, neque alia hæreticalia committam, aut faciam, neque in posterum hæreticis opem, auxilium, consilium, aut favorem circà hæreses & errores, ceu eorumdem occasione præstabo, aut impendam: nec ab aliis præstari, aut impendi faciam. Iuro & me integrè adimpleturam omnes pœnitentias mihi injunctas, sive injungendas, & si unquã aliquibus ex meis promissionibus & juramentis (quod Deus avertat) contravenerim, me obli-

go, & submitto omnib⁹ pœnis, & sacris Canonibus, aliisque constitutionibus generalibus & particularibus, contra hujusmodi delinquẽtes inflictis, & promulgatis. Sic me Deus adjuvet: & hæc sancta Dei Evãgelia, quæ propriis manibus tango EGO CARLOTTA CATHARINA DE LA TRIMOILLE, PRINCIPISSA CONDENSIVM.

Et ad confirmationem & corroborationem omnium promissionum ac declarationum meæ sinceræ voluntatis, infradictam Catholicæ & Orthodoxæ fidei professionem expressè Facio & Emitto, quam propria manu scripsi EGO CARLOTTA CATHARINA DE LA TRIMOILLE. His dictis hujusmodi professionẽ emisit. Videlicet,

Ego CARLOTTA CATHARINA DE LA TRIMOILLE *firma fide Credo, & Profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei quo sancta Romana Ecclesia vtitur. Videlicet,*

CREDO IN VNVM DEVM, *Patrem omnipotẽtem, factorem cœli & terræ.*

Visibilium omnium & invisibilium. Et in vnum Dominum IESVM CHRISTVM, *filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deũ de Deo, lumen de lumine, Deũ verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quẽ omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & Incarnatus de Spiritu sancto ex* MARIA *virgine,* ET HOMO FACTVS EST. *Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est, & resurrexit tertia die secũdum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dextrã Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos. Cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominũ & vivificantem, qui ex Patre filióque procedit. Qui cum Patre & filio simul adoratur & conglorificatur. Qui loquutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam* Ecclesiam. *Confiteor unum Baptisma*

in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. AMEN. *Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquásque ejusdem Ecclesiæ observationes & constitutiones firmissimè Admitto & Amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia: cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum Admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam & interpretabor.* PROFITEOR *quoque 7. esse verè & propriè Sacramenta Novæ Legis à* IESV CHRISTO DOMINO NOSTRO *instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria. Scilicet* BAPTISMVM, CONFIRMATIONEM, POENITENTIAM, EVCHARISTIAM, EXTREMAM VNCTIONEM, ORDINEM, & MATRIMONIVM: *illámque gratiam conferre. Et ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari*

non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione Recipio & Admitto. Omnia & singula quæ de peccato originali & de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt Amplector & Recipio. PROFITEOR *pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propiciatoriũ sacrificium pro vivis & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter & substantialiter corpus & sanguinem, unà cum anima, & divinitate* DOMINI *nostri* IESV CHRISTI, *fierique conversionem totius substãtiæ panis, in corpus, & totius substantiæ vini, in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationẽ appellat. Fateor etiã sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verúmque sacramentũ sumi. Constãter teneo Purgatorium esse, animásque ibi detentas fidelium suffragiis*

juvari. Similiter & Sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eósque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerãdas. Firmissimè assero imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam: Indulgentiarum etiam potestatẽ à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarúmque usum Christiano populo maximè salutarem esse Affirmo. Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam Matrem & magistram Agnosco; Romanóque Pontifici, beati Petri, Apostolorum Principis, successoris, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam Spondeo, ac Iuro: Cætera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita & declarata, indubitãter Recipio atque Profiteor, simúlque contraria omnia atque hæreses quascũque

ab Eccle

ab Ecclesia damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter Damno, Rejicio, & Anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti spõte Profiteor, & veraciter Teneo, eandem integram & inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritũ constantissimè (Deo adjuvante) retineri & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantùm in me erit, curaturam, EGO EADEM CARLOTTA CATHARINA DE LA TRIMOVILLE *Spondeo, Voveo, ac Iuro: Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

Quibus peractis & eadem Domina Principissa præsistente genu flexa recitare cœpit Illustrissimus Dominus Legatus unà cum illustrissimis Dominis Prælatis assistentibus alternatim psalmum Miserere mei Deus, quo finito incepit statim eodẽ ordine, Deus

Biblioteca Angelica

misereatur nostri. Interea verò dum Illustrissimus Dominus Legatus suum versiculum recitaret, ad quemlibet leviter cõtingebat cum virgula spatulas Dominæ Principissæ eam absolvendo. Hîc animadvertẽdum est, quòd, cùm illustrissima Domina Comestabilis esset D. Principissæ proxima, ita in angustias redacta fuerit, ut nec se movere loco, nec caput inclinare, aut avertere posset. Vnde accidit, ut plus illic, quàm aliæ omnes mereretur: quia scilicet, cùm dicti psalmi recitarentur antiphonatim, ut dictũ est, ab Illustrissimo D. Legato & clero præsente: & ad quemque versiculum D. Legatus ipsam Principissam scipiunculo, vel virgula tangeret in humeris, (juxta ritum & constitutionem Ecclesiæ) cùm in spatulam sinistram deflecteret, simul caput & vultum multis vicibus Dominæ Comestabilis contin-

gebat. Quod advertẽs ipse D. Legatus, abrupit punctum virgulæ versus cuspidem : quod ferè omnes putabamus hoc animadverso fuisse partem aliquã hujúsce ceremoniæ. Sed ego rescivi ex ore ipsius Illustrissimi D. Legati veritatem rei. Hæc diximus, ne quis deinceps in eo hallucinetur ubi veritatem rescisçat.

MISERERE MEI DEVS *secundum magnam misericordiam tuam.*

Et secundum multitudinẽ miserationum tuarum : dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malũ coram te feci : vt justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum : & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuã à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificiũ de-

dissem: utique holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorũ. Amen.

Deus misereatur nostri & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amẽ.

Hîc surrexit Dominus Legatus sine mitra in capite.

Kyrie eleison; Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster, &c.

Vers. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Vers. Salvam fac ancillam tuam.

Resp. Deus meus sperantem in te.

Vers. Nihil proficiet inimicus in ea.

Resp. Et filius iniquitatis nõ nocebit ei.

Vers. Esto nobis Domine turris fortitudinis.

Resp. A facie inimici.

Vers. Domine exaudi orationẽ meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum Spiritu tuo.

OREMVS.

Præsta quæsumus Domine huic famulæ tuæ dignum pœnitentiæ fructũ, ut Ecclesiæ tuæ Sanctæ, à cujus integritate devia verat peccando, admissorum veniam consequendo, reddatur innoxia. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Hîc sedit Dominus Legatus, & accepta mitra dixit.

OREMVS.

Deus cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut famulam tuam Carlottam Catharinam, quam excommunicationis cathena constrinxit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christũ Dominũ nostrum. ℟. Amen.

Deinde dixit.

Authoritate Dei Omnipotentis, & beatorũ Apostolorum Petri, & Pauli, atque Ecclesiæ suæ Sanctæ, & ea qua fungor, Absolvo te à vinculo excõmu-

nicationis, qua ex cauſa hæreſis ligatæ eras. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Reſp. Amen.

Deinde ſurrexit Dominus Legatus cum mitra, & ponens leviter manus ſuper humeros Principiſſæ dixit.

Reduco te in gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ, & ad conſortium, & communionem totius Chriſtianitatis, à quibus fueras per excommunicationis ſententiam eliminata, & reſtituo te participationi eccleſiaſticorum ſacramentorum. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Reſponſ. Amen.

ERANT ibi videntes, & audiẽtes Illuſtriſſimi ac Reverẽdiſſimi Domini, D. Petrus Gondy, tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in monte Pincio, & Anna de Givry Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales nuncupati; nec non Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Franciſcus à Gonzaga, Epiſ-

copus Mantuanus, Sanctissimi Domini D. nostri Papæ Sedísque Apostolicæ Nuntius in hoc Frãciæ regno: Reverendissimi Domini Antonius Grimanus Torcelensis, & Franciscus Scottus Termularum Episcopi, & Reverendissimus D. Alexander Iustus, de quo paulo ante jam diximus: Domini Ioannes Iacobus Adorno, & Victorius Ragazzonus Sanctissimi Domini D. nostri Papæ utriúsque signaturæ Referendarii: Attilius Amalteus Legationis Secretarius, & Lazarus Malvicinus Protonotarii Apostolici: Illustrissimi & Excellentissimi Domini Henricus Dux Montmorantius, regni Franciæ Comestabilis, & Carolus ejus frater Franciæ Admiralius, sive maris prefectus: Carolus Robertus à Marcha ex Buillonæa prosapia masculus unicus relictus, ac ejus filius, primogenitus Hẽricus Marchæ Comes: illu-

strisimi Domini Horacius Ruccelay, & Petrus de Nero, Illustrissimi Domini Legati ex sorore Lucretia nepos, Gulielmus de Gadagne Baron de Boteon, Senescallus Lugdunensis, Ordinis Sãcti spiritus Eques, Hieronymus à Gondy; patritii Florentini: ac plurimi magnates, & viri nobilissimi quos recensere longissimum erit. Adfuerunt quoque Dominus Paulus Alaleo, Sanctissimi Domini nostri Papæ ceremoniarum Magister, Reverendi Domini Ioãnes Bandinus Abbas de Villars, & Lucas Duccius ejusdẽ Legationis Abbreviator: nec nõ Domini Leonardus Deto, Octavius Ruina, Petrus Iacobus Cima, Cosmas Zambecarius, Ioannes Baptista Samperius, & Ioannes Paisanus Domus D. Illustrissimi œconomus, Milles Marionus Regis consiliarius, quæstor, sive thesaurarius generalis Frãciæ in Oc-

citania, (quæ *Linguadoca* dicitur) intendens in rem quæstoriam in eadem provincia: nec non in domum & negotia D. Comestabilis, Petrus Guylleminet, & Petrus Mieta, ambo nobiles & domestici Excellentissimi Principis testes ad præmissa una cum dicto Symone Ianel publico notario specialiter adhibiti atque rogati.

Postquã verò Illustrissimus Dominus Legatus omnia rite, quæ ad ceremoniam pertinerent, cõsumavit in eo actu, surgente Illustrissima Domina Principissa, fuit alta voce postulatus Pater reverendus frater Iosephus Texera Portugallensis, Ordinis Sãcti Dominici, Sacræ Theologiæ Magister, vir omnibus pro sua eruditione & doctrina probè cognitus: qui Cõfessarius multis annis fuit Domini Antonii Regis Portugallię, sic in nostris partibus habiti & cognominati. Qui quidem An-

tonius in una quadam sua epistola, quam nos vidimus scriptã ad summum Pontificem tale de ipso Patre perhibet testimonium his verbis. *Ac fratrem Iosephum Texeram sacræ Theologiæ Magistrum, virum de sua patria optimè meritum, qui à primo sui novitiatus anno, ad eum usque quo me fuit secutus, plurimis honoribus & dignitatibus, cùm in suo Ordine, tum extra, in Portugallia functus est. Quemque veræ obedientiæ filium, & vitæ regularis acerrimum professorem, suique Ordinis constantissimum propugnatorem semper & ubique extitisse omnes sciunt &c.* Cùm accessit supradictus Pater ad Illustrissimum D. Legatum, ei injunctum fuit à Cardinalibus assistentibus, ut in genua procumberet secus pedes dicti Illustrissimi D. Legati, ut etiam erant flexis genibus iidem Illustrissimi Cardinales & cæteri Prælati. Statim Dominus Legatus prolixo ser-

mone declaravit, sibi benè constare, informatione facta per certos quosdam magni nominis viros, sapientes, pios, & virtutum omnium studiosos, quemadmodum ille semper egerit ubique religiosè, & fortiter, ut optimè etiam adoptioni suæ, Sancti Dominici filio correspondaret, dum in vivis agẽdo spiritum divinum tanti Patris in terra retineret, affectus zelo augendæ Ecclesiæ Dei, & conversiónis piæ eorum, qui in erroribus novarũ opinionum versarentur. Adeóque etiã quia sibi compertum erat quòd dictus Pater esset notus & charus, non solùm suæ Majestati Christianissimæ, Principibus, Domino Comestabili, ac ejus fratri: sed etiam gratus ipsi Principissæ: ex qua etiam intellexerat, eidem ab ipsa fuisse commissam curam Excellentissimi Principis filii sui circa spiritualia in officio Consi-

liarii, Eleemosynarii, Concionatoris. Vt etiam illud ipsum munus habebat erga suam Majestatem Christianissimam. Itidémq; quia ille optimè callebat linguas, Italicam, & Gallicam. Iis de causis & aliis multis dotibus, quibus ille esset insignitus, quas tunc silentio præteribat ob temporis angustias, significavit, se valdè gaudere, quòd ipsum isthic præsentem offendisset in eo actu, ut illi hanc oviculam committeret, quæ recèns ad rectam viam salutis redierat. Propterea se, ut Legatũ suæ Sanctitatis, & illius nomine, illi præcipere, ut id in pensum suũ annumeraret: Nimirùm de instituenda illa Principissa in iis omnibus, quæ ad fidem & doctrinam Christianam pertinẽt, erroribus, ritibus, & ceremoniis Calviniſmi penitùs ejectis omnibus, atq; exeradicatis, perpetuáque oblivione extinctis: Ac si-

mul, ut sibi munus assumeret, quod ad Confessarii jus & authoritatẽ referri solet ad illam Principissam audiendam, & absolvendam ab omnibus suis peccatis & erroribus. Ad quod exequendũ munus, ille D. Legatus ipsi omnem suam potestatem conferebat, adeò integram, atque à Sanctissimo D. Papa habebat. Dicto Patri declaravit præterea D. Legatus, absolutionem, quã Principissæ contulerat, esse solummodò judicialem : sed alioquin se illi hoc injungere munus, ut illam sacramentaliter absolveret. Propterea ad se pertinere, ut illã audiret in confessione, & simul absolveret: atq; medio sacramenti pœnitentiæ, & altaris ipsa tunc perfectè, & realiter absoluta remaneret. Denique quartam horæ partem supradictus D. Legatus consumpsit in ea exhortatione ad Patrem Texeram, dũ eum

conſiliis inſtituit, ac documentis ornat quãplurimis, ut recta collimaret in eo munere ac officio præſtando, quo ipſum onerabat, maxima pars circunſtantium non ſe loco movit, donec Illuſtriſſim. D. Legatus finẽ fecit, ac poſteà ſurrexit. Et quia non intellexerant plerique omnes verba illius, id maiorem in modum ſcire cupiebãt, & percunctabantur, ut quid fuerat vocatus iſte Pater, & flexis genibus tam diu ibi perſtiterat. Putabant enim dictum Patrem aliquam confeſſionem ſive abjurationem ibi feciſſe, & ob id mirabãtur vehemẽter, quia etiam agnoſcebant virum, ſciebántque eum non modò incolumem & alienum eſſe ab omni hęreſis labe, nec non & pravæ opinionis: verùm etiam illum ipſum ſemper, & in omni parte ſanctæ noſtræ fidei propugnatorem diligentiſſimum fuerant experti.

Prętercea notũ erat pleríſq; ejuſdẽ Patris exemplo, doctrina, & conſuetudine nonnullos hæreticorũ dogmata deſerentes verum Dei cultũ fuiſſe amplexos. Quod cùm reſciviſſẽt, gaudio ſummo affecti ſunt. Erat autem omnium tanta lætitia tantúmque gaudiũ & animi exultatio tota civitate, ut in illis diebus proximè ſequẽtibus, quacúmque incederet dictus Pater, cum maxima hilaritate, & concurſu plurimo eum ſibi invicem oſtenderent digito: ac dicerent. ECCE, HIC EST.

CAETERVM Domina Principiſſa ex labore iſtius diei malè ſe habuit nocte, ac in ſequenti die, qui erat Sancti Ioannis Evãgeliſtæ, ita ut nõ potuerit è cubiculo prodire. Sed cum nocte altera meliùs ſe habuiſſet, poſtquã illuxit dies, qui fuit Sanctorum Innocentium, decrevit cum ſuo Confeſſore primam à ſua con-

versione audire Missam in Ecclesia maiore Nostræ Dominæ. Quò se illa contulit circa decimam, eam comitãtibus Illustrissimis Dominabus Comestabili, & Ammiralia, & aliis quamplurimis magnatibus, & primariæ notæ fœminis. Ipso die ei missã celebravit dictus Pater Texera, ut idẽ fecit in aliis Ecclesiis diebus sequẽtibus, usq; ad nonũ diẽ. Ianuarii, tertiã octavam post Regalia, die Iovis, quindecim diebus ab ipsius Principissæ conversione, quo die statutũ est ab Illustrissimo Domino Legato, ut illa primũ suum Pascha celebraret. Ego ipse die Mercurii præcedente circiter tertiam vespertinam secutus ipsam Principissam usque ad monasterium Capuchinorum vidi, cùm illa in primo sacello ad lævam, intrando Ecclesiam secus pedes dicti Patris Confessarii flexis genibus,

plùs unius horæ ſpatio perſtaret: & tandem ipſum eam abſolvere animadverti. Atq; quãvis procul abeſſem, audivi tamẽ abſolutionis verba. Inde reverſam ſum in domum uſq; ſuã comitatus. Die inſequente præſens fui in choro Eccleſiæ Maioris Noſtræ Dominę, cùm ibi ſacrũ faceret Illuſtriſſimus D. Legatus ad altare maius. Et cùm veniſſet tempus, quo Illuſtriſſima Principiſſa deberet ad altare accedere, perceptura de manibus dicti Illuſtriſsimi D. Legati ſacramentum diviniſsimum, omnibus illic proſtratis in genua, ſurrexit Termularũ Reverendiſsimus Epiſcopus Franciſcus Scottus, jam nominatus, (vir ſummus Theologus, gravis judicio & authoritate: in cujus vultu mihi viſus ſum veriſsimè antiquorum Præſulum, quos Eccleſia nobis commendat, venerabilem faciem contemplari);

& adiens Principissam Illustrissimam, quæ erat genu flexo circa Cathedras chori dextri, illam admonuit jam adesse tempus, ut ad percipiendum sanctissimum Domini Corpus accederet,& eã adjuvit,brachio sublevans, eámque ab una parte comitatus est ad altare, cum ab altera parte adesset idem Pater Texera, qui secus illam etiam genu flexo per totum mane perstiterat. Postquã verò ipsa diviniſsimũ Sacramentum percepit, eodem comitatu sese in pristinum, ubi sedebat, locum recepit, vultu semper detecto, cum tam singulari modestia, & adeò composita devotione, ut omnibus admirationi fuerit, & plerique lachrymis fleverint obortis. Astiterunt in eo actu omnes magnates Ecclesiastici antè denominati: Principes verò & Domini pręcipui Henricus Borbonius, Dux Montpense-

rius, Renata Estensis Ducissa Nemorosiorũ, & Catharina Clivẽsis, Ducissa Guysiæ, illius nurus: Domina Comestabilis, Dominus Admiralius, & Gilbertus Trimollius, Marchio de Royã, ejusdem Principissæ consobrinus, Dominus Commendator de Chastes, Franciæ Viçadmiralius, & multi alii viri magnates & nobiles, & fœminæ innumeræ, cum infinita populari gẽte. Quæ res, cùm prævideri non potuerit, tantò admirabilior evasit. Præsertim quia eo ipso die contigit, ut Sua Majestas Christianissima convocaverit concilium publicum omnium Principum, & præcipuorum Coronæ & regni officialium, cum Deputatis civitatum, & urbium ex singulis Ordinibus, qui tunc erant ibi in comitiis coadunati, ut inde augurari posset quispiam non affuturos plerosque. Nihilomi-

nus tanta fuit populi & nobiliũ multitudo, ut nisi adessent Domini Comestabilis excubitores, essent omnes Principes, Prælati, ac Magnates multò pejus tunc habiti, quàm in conversione dictæ Principissæ fuerint in Ecclesia Sancti Michaëlis.

Peracto sacro Illustrissimus D. Legatus domum suam rediit. Statim eum secuti sunt Illustrissima Principissa, ducissæ, Nemorosiorum, & Guysiæ, Domina Comestabilis & aliæ pleræq; primariæ fœminæ. Nec verò Dominus Comestabilis, & D. Admiralis diu tardarunt. Cùm porrò fuissent omnes in unum congregati, convivium sterni & pręparari cœptum est: quod quidem adeò fuit splendidum, opiparum, & pollucibile, quantùm animo perfectissimum concipi potest. Vidi certè pleróque viros nobilissimos illud admirari,

non tam ob rerum omnium copiam, quàm ob apparatum & industriã, qui apertè se multa sympoſia lautiſſima, præterquàm iſthic, alibi vidiſſe: ſed illud præ cæteris omnibus inſtructiſſimũ, nec uſquam ſimile iſti vidiſſe aiebãt. Aderãt pluſquã trecenti viri nobiles, ac domicellæ: (cùm aula eſſet vaſtiſſimæ amplitudinis) qui, quæque illuc ſolùm ſpectatum venerant animi gratia. Atqui ipſiſſimi convivio ipſo frui non deſierunt. Quandoquidem quanta condîta famuli è menſa ſuſtulerunt, quæ multa plurima extiterunt, omnia illa impertierunt aſtantibus liberaliſſimè. Ita ut non eſſet ullus, ſive tenuis fortunæ ſive opibus potens, qui nõ aliquid voraret inde, aut domũ ſuam aſportaret. Eodẽ die apud Illuſtr. Dominũ Legatum plures 200. convivati ſunt, præter ſuos familiares. Intra quem nume-

rum nobiles & Domicellæ D. Principissæ,& aliarum cum viris præcipuis comprehendi debent: quorum omnium mẽsæ eodem apparatu, atque illa D. Legati summa lautitia instructæ fuerũt. Excubabant præ foribus custodes duplici numero militum, tã è regia domo, quàm è D. Illustrisimi Comestabilis satellicio, adeóque D. Illustrisimi Legati ipsius. Ita, ut nullus ingrederetur, qui non esset alicujus notæ, aut ea libertate præditus agnosceretur. Multa multi de eo convivio sunt opinati quanti maximi constitisset. Qui propius scopum attigerunt, illi ad mille ducentorum aureorũ numûm æstimarunt. Qui minus,ad octingẽtorum. Qui tamen penitiùs penum ipsum D. Legati introspexerunt, consultis etiam præstantisimis archimagiris, qui in eo operam suam locarunt,id totum

quic

quicquid impensum fuit, non pluris quàm sexcẽtorum aureorũ numûm, vel minoris ad quadringentorum dispendium illud deveniſſe censuerunt. Sed revera ex promocondi viri nobilis & magnifici fidelitate & industria, necnon ope & vigilantia suppræfectorum suorum, non trecentorum numûm aureorum impẽsam excesſit. Tantùm valet servorum fidelium zelus & amor ergaDominum. Vt supra dixi, nõ tantùm affluentiam admirabantur, ut ipsam structuram epularũ cum tanta promptitudine apponendi, silentio & tranquillitate serviendi: ut non plus esſet strepitus, quàm si quinque vel sex convivæ tantùm mẽsis accubuissent. Quæ res digna est notatu, & admiranda valdè. Postquàm verò gratię actæ fuerunt, inferũt famuli mensæ quædam operis pistorii artopegmata, quorũ erat

pistura, è Zucaro candidissimo condîto, confecta. Rogarunt autem Principissas, ut illa artopegmata detegere vellent, & adaperire. Mox autem, ut aperta fuerunt, exiliunt cuniculi pusilli multicolores, cum campanulis è collo pensilibus argẽteis, cũ multis simul passerculis. quod quidem omnes convivas magno applausu exhilaravit, ac circunstantes, cùm ipsi cuniculi se in fugam currendo conjicerent, passerculi verò evolarẽt. Verùm cùm è vestigio multi venatores insisterent, ne unus quidem ipsorum evadere potuit. Omnes denique ex ipso convivio adeò hilares exierunt, tantáque animi voluptate perfusi, ut multos post dies in aula nulli alii haberentur sermones, quàm de eò.

Atque ita mihi visum est omnia hæc particulatim describere multas ob causas graves, quas

quisq; per se expendere potest ob tantæ rei admirationẽ, quanta est Illustrissimæ Principissæ verè pia conversio, & benigna simul ejusdem in gremium Ecclesiæ receptio. Potissimùm verò ob ipsius actus dignitatem & rituum, qui in ejusmodi observari debent: nec prætermisso verè spiritualis gaudii symbolo, quod Illustrissimus D. Legatus voluit paterna liberalitate, ut sic terrena cœlestibus respondèrent, quandoquidem Angeli Sancti in conversione peccatorum lætantur. Et sic etiam omnes in salute animarum gaudere debent. Hîc addidi epistolas duas, unam Illustrissimę D. Principissæ, post suam ad sinum Romanæ Ecclesiæ conversionẽ, Missam ad D.D. nostrũ Papam: Alteram ejusdem Domini D. Papæ ad ipsam Principissam. Atque disputationem in qua determinatur, quomodo sint Minores re-

ducendi in gremium Ecclesiæ: Vale. Si quid aliud tibi præstare possum, mi Raphael, tutè me monc. Non deero juri mutuæ inter nos morituræ nunquam amicitiæ. Deus adesse velit cunctis omnibus. Dat. Parisiis 12. Martii anni 1598.

Epistola Illustrissimæ Dominæ *D. Principissæ, Henrici Condæi Principis matris, post suam in Sanctæ Ecclesiæ gremium conversionem, missa ad summũ Pontificem Clementẽ VIII. ex Gallico in Latinum translata.*

SANCTISSIME PATER,

Postquã mea privata incommoda, & calamitates publicæ non mihi concedunt, mittere ad sanctitatem vestram unum aliquem ex meis nobilibus domesticis, uti debebam, & mihi esset in votis, hac libertate uti constringor, ut hasce literas eidem Sanctitati Vestræ

scribam, in eum finem, ut ipsi quàm humillimas gratias agam, non solùm de eo Brevi, omnis benignitatis & clemẽtiæ pleno, quo Sanctitati vestræ me dignari visum est, quod summo honori duco: sed etiam ob multa, eáque insignia, quæ mihi præstitit, pietatis officia Dominus Legatus, cùm me in gremium Sanctæ Ecclesiæ recepit: & me quamplurimis salutaribus instruxit monitis. Adeóq; illius protectionis ergò, quam dudũ ipsa Sãctitas Vestra sibi dignata est assumere circa meũ filium, meámque filiam. Id autem vestræ Sanctitati assevero, quòd ipse mecum, mei inquam liberi, debemus, ab illa omne nostrum qualecúmque est bonum profiteri extitisse, ac ei acceptum deberi. Ita etiam nullos unquam fore, qui maiorem ei deuotionẽ habeant, ipsi scilicet Sanctitati Vestræ, & Sacrosanctæ Sedi: nec qui plùs per omnia & in omnibus obedientiæ rependant omnimodæ, inquam, ac humillimæ. In eo affectu expecto dum me sua Sanctitas suis mandatis cohonestet; eidémque supplicabo ut mihi suam sancti favoris gratiã impertiatur. Deum autem oro, Sanctissime Pater, ut sibi omnium suorum sa-

crorum desideriorum complementum tribuere dignetur. Dat. Parisiis hodie 20. Martii anno 1597.

Vestræ Sanctitatis devotissima & obedientissima filia

CARLOTTA CATHARINA TRIMOLLIA.

Supra autem,

Ad Sanctissimum Patrem Dominum D. nostrum Clementem VIII.

Responsio Sanctissimi Domini D. nostri Papæ Clemẽtis 8. ad Illustrissimam D. Principissam Condæi, post ejus conversionẽ.

CLEMENS PP. VIII.

DILECTA *in Christo filia Nobilis mulier salutem & Apostolicam benedictionẽ. Antea quidem, cum ex literis dilecti filii*

nostri Alexandri Cardinalis de Florentia, nostri & hujus sanctæ Sedis Apostolici Legati, de tuæ nobilitatis conversione, & intra gremium Catholicæ Romanæ Ecclesiæ reductione accepissemus, summam in Domino voluptatem cepimus, & singulares Deo, & Patri misericordiarum gratias egimus: nunc autem lectis literis tuis, quibus tu ipsa id nobis significas, tantámque erga nos, & hanc sanctam Sedem, unà cum filiis tuis pietatem, & devotionem ostendis, iterum magno spiritali gaudio exultavit cor nostrum in Deo, qui secundum divitias bonitatis suæ, non permisit te ancillam suam diutiùs jacere in tenebris, sed eduxit te in admirabile lumen suum, & lucem Catholicæ veritatis. Gratulamur tibi filia, Deúmque bonorum omnium auctorem, quod sæpè pro te fecimus, nunc maximè precamur, ut opus suum in te confirmet, atque custodiat, & sua dona tueatur. Te verò hortamur, ut quanta fecerit tibi, is qui potens est, crebrò consideres, Téque ad ejus gloriam pro tua virili parte procurandam, toto ex corde impendas: quod te facere non dubitamus, & facturam confidimus, eadem diuina gratia juvante, quæ Te potenter & suaviter ad viam salutis attraxit. Sed egregiè in primis de Catholica Religione, de ampliſsimo regno isto, & de Christiana tota Repub. mereri potes, Prin-

cipe filio, Nobis unicè dilecto, piè, & Catholicè educando: qui ea præstanti indole, iis naturæ ornamentis, in spem tantæ Successionis adoleſcit, quod cùm feceris, illi ipſi, quem tantoperè amas, optimè consulueris. Nam pro tua prudentia intelligis, & regna in Dei manu esse, & omnem veram fœlicitatem ex eo pendere, ut illi demum fœlices & florentes sint, qui cum Deo, & ejus Ecclesia Catholica firmissimè cohærent. Contra verò qui ab eo, ejúsque Ecclesiæ unitate discedũt, infeliciſsimi meritò sint existimãdi. Quod multis & antiquis exemplis, & recentibus approbatur. Nos verò & nobilitatem tuam, & filios tuos paterno affectu prosequimur, & vos in Christo crescere in virum perfectum, & omni cæleſti gratia abundare semper optamus. Catera hoc de genere idem Cardinalis, & noſter Apoſtolicus Legatus, qui te & tuos sincere in Christo diligit, copioſiùs exponet, & nos Tibi Apoſtolicam noſtram benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piſcatoris, die Vltima Maii M.D.XCVII. *Pontificatus noſtri anno sexto.* Subſignatum erat inferiùs, *Syluius Antonianus.* & in ſuperſcriptione, *Dilectæ in Christo filiæ Nobili mulieri, Principiſſæ Condenſi, Matri.* & obſignatum D. Petri ſigillo.

QVONIAM verò postquàm fuit absoluta Illustrissima Principissa, & in gremium Ecclesiæ recepta: & quia jam de Principe filio ejus actum erat, & ipse Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Cardinale Gondy Ecclesiæ fuerat reconciliatus, deinceps habita est ratio Illustrissimæ puellæ Leonoræ Borboniæ filiæ ipsius, ut juxta sacros Canones reciperetur, pro ætatis suæ conditione, suíq; status dignitate: sicque cum illa aliter agere oportere visum est, in sequenti ut disputatione breviter ostenditur.

Disputatio de reductione infantium, ac puerorum in gremium Ecclesiæ.

DVBITABATVR enim, quomodo reducenda esset in gremium

Ecclesiæ puella novem annorum cum dimidio, & nutrita ab hæreticis parentibus, mortuo patre & matre conversa: Præsupponebatur non teneri abjurare ex Concilio Tolosano, anno 1229. cap. 2. quo cavetur, quod universi, tam mares, quàm fœminæ, masculi à decimoquarto anno, & supra, & fœminæ à duodecimo abjurent omnem hæresim, & idē in Concilio Biterensi cap. 31.

IDEO concluſum fuit puellam esse visitandam, & secundum indolem ipsius esse procedendum: quia in illa ætate possunt esse vel doli capaces, & habere aliquod ingenii acumen, vel certè acrioris ingenii & judicii, ut possent malitias hæreticorum comprehendere juxta institutionem parentum, vel etiam non doli capaces, & absque aliqua malitia.

PRIMO casu, quo ignorantia

suffragatur ætatis, esset manus quædam impositio adhibēda, nō reconciliatoria, sed curatoria, & quædam manus extensio cū oratione invocato Spiritu Sancto paracleto.

SECVNDO casu, esset locus mitissimę pœnitētię, quia si illud, nimirùm acrimonia ingenii & judicii, est naturæ & indolis aliquo vitio, sperari potest, puellam esse facilè deposituram, & emendatiorem futuram crescente ætate. Ac etiam nulla est pœnitentia in hoc casu, in quo puella à parentibus decepta est: Et ideo ab omnibus pœnis hæreticorum excusanda est, Iure ita disponēte: Et omnino manus impositio reconciliatoria sufficeret: nec aliqua alia solēnitas necessaria est, post duodecimum, vel quartumdecimum annum completum.

TERTIO nihil aliud necessarium esset, quàm Christiana &

Catholica institutio & educatio.

QVA propter examinata puella, & reperta illa absque aliqua naturæ malitia, videbatur esse in tertio casu, nec requiri ullam solemnitatem. Hac de causa, attenta personæ nobilitate, fuit per Illustrissimum ac Reverendissimũ Dominum D. Legatum à Latere summi Pontificis, Sanctæq; Romanæ Sedis in regno Franciæ Alexandrũ Medici Cardinalem & Archiepiscopum Florentiæ extensa manus super Illustrissimã Dominam Leonorã Borboniam, Protoprincipis sororem, puellam novem annorum, mensium undecim, undecimque dierum, 10. Martii anni 1597. cum invocatione Spiritus sancti, ut supra dictũ est in primo casu.

ITA ergo ad exemplum Illustrissimi Legati agere debent quibus animarum salus cõmissa est, ratione habita ætatis, personarũ

& ſtatus: nec enim omnia omnibus conveniũt. Maiores verò natu diſciplina ſeveriori coërceri debent. Cum parvulis autem Eccleſia pia mater facilè diſpenſare ſolet. Atque ut hæc omnes pleniùs intelligant, ex Iure ipſo ita probare poſſumus, non ſatis eſſe, ut aliquis ſchiſmaticus aut hæreticus ſimpliciter abjuret hæreſim, & errorem, aut ſchiſma in quibus priùs verſaretur, niſi etiã de cætero ipſum irregularitatis impedimentum, quod omnes hæretici de facto incurrunt, tollatur per deſpenſationem Summi Pontificis. Regula Iuris ita ſe habet. Quiſquis eſt vel fuit Schiſmaticus aut hæreticus, irregularis eſt, etiã ſi converſus & admiſſus ad gremium Eccleſiæ pœnitentiam peregerit. Speculat. titu. de diſpẽſatione §. juxta. & videtur probari textus in cap. convenientibus 1. quæſt. 7. de Purgat. Cano.

Quia licet delictum per pœnitẽtiam & abjurationem sit purgatum, non tamen est sublatũ impedimentum, sive irregularitas ex delicto oborta, & propterea nisi dispensatum fuerit cum tali schismatico, sive hæretico, ad unitatem Ecclesiæ reversо, ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas promoveri non poterit, ac irregularem quoque remanere pronunciavit Maiolus lib. 5. de irregular. cap. 46. & in hoc casu solus Papa potest dispensare, ut Panormitanus &c.

FINIS.

Biblioteca Angelica

1794